DE C. HELVIO CINNA POETA

HANC THESIM

Facultati Litterarum in Universitate Aquensi-Massiliensi

PROPONEBAT

ad gradum Doctoris promovendus

Gabriel ANCEY

Professor, in Montepessulana Facultate licentiatus.

PARISIIS

APUD THORIN FILIUMQUE BIBLIOPOLAS

A. FONTEMOING, Successorem.

4, Via Le Goff, 4

MCMI

DE C. HELVIO CINNA POETA

HANC THESIM

Facultati Litterarum in Universitate Aquensi-Massiliensi

PROPONEBAT

ad gradum Doctoris promovendus

Gabriel ANCEY

Professor, in Montepessulana Facultate licentiatus.

PARISIIS

APUD THORIN FILIUMQUE BIBLIOPOLAS

A. FONTEMOING, Successorem.

4, Via Le Goff, 4

MCMI

Massiliæ — Ex typis S. Leonis, via *des Princes*, 78

Eugenio Rostand,

E GALLICI INSTITUTI SOCIIS,

DE C. CATULLI MANIBUS BENE MERITO,

hæc de Valerii sodali

Gabriel Ancey

LIBENS DICAVIT

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

Burmann, *Anthologia latina*, 1759.

Creuzer, *Religions de l'Antiquité*, tr. Guigniaut, Paris, 1825.

Croiset (les frères), *Histoire de la Littérature Grecque*, V, Paris, Fontemoing, 1899.

Decharme, *Mythologie de la Grèce antique*, Paris, Garnier, 1879.

Maury, *Hist. des Religions de la Grèce antique*, Paris, 1857-9.

Meineke, *Analecta Alexandrina*, Berolini, 1843.

Mommsen, *Hist. Romaine*, VII, tr. fr., Bruxelles, 1868.

C. et Th. Müller, *Frag. Historic. Græcorum*, Paris, Didot, 1841.

L. Müller, *Catulli Carmina*, Lips., Teubner, 1892.

De Re Metrica, 2ª edit., ibid., 1894.

Næke, *Valeri Catonis carmina cum animadv.*, Bonnæ, 1847.

Patin, *Etudes sur la poésie latine*, Paris, Hachette, 1868.

Perrot et Chipiez, *Hist. de l'Art dans l'Antiquité*, III, ibid., 1885.

Reclus, *Nouv. Géographie universelle*, I et IX.

Revue des Etudes Grecques.

Rostand, *C. Val. Catulli liber*, comm. Benoist et Thomas, Paris, Hachette, 1882.

Schwabe, *Quæstionum Catullian.* lib. 1, Gissæ, 1861.

In Cirin carmen observationes, Dorpat, 1871.

Teuffel, *Hist. de la Littérature Romaine*, tr. fr., Paris, Vieweg, 1883.

Thierry (Am.), *Hist. des Gaulois*, Paris, 1828.

Weichert, *De C. Helvio Cinna Poeta*, 1822-3, retract. 1830, Lipsiæ, Teubner (in *Poet. Latin. Reliquiis*).

FONTES ANTIQUI PRÆCIPUI :

Aulus-Gellius.

Callimachus.

Catullus.

Cicero *(Brutus, Epistulæ, Philippicæ, Tusculanæ)*.

CIRIS.

Grammatici latini.

Historici temporum.

Lycophro.

Mythographi græci et latini.

Ovidius, *Trist*. et *Metamorph.*

Plinius Major.

Strabo.

Suetonius, *De Grammatic. illustr*.

Vergilius, *Bucolic.*

Thesis Latina

DE C. HELVIO CINNA POETA

Gabriel ANCEY

PROŒMIUM

Jampridem a V. docto Augusto Weicherto in *Zmyrnæ* deperditi poëmatis auctorem commentatio L fere paginarum edita est, qua in istum poëtam disquisitiones hactenus conclusæ videntur. Equidem non possum quin tale fastidium vituperem. Etenim cum Nostri fragmenta apud Weichertum non integra relata sunt, tum vero eam, quæ de Cinnæ interitu invaluit, famam explodendam arbitror : quod me victurum esse spero, adhibita inprimis nova quadam atque inaudita ejus *Propemptici* interpretatione. Neque adeo exhausta ea, quæ remanent, monumenta judico, ut sive auctoris ipsius os et habitus, sive operum color, satis illustrata videantur.

Quibus disquisitionibus non meri Grammatici modo allici debent. Haud mediocre in Romanis litteris devorticulum Cinna designat. Quamdiu neque hic neque hujus cohors fuere, verbosis tibi cum ingeniis tantummodo res erat, propria sponte utentibus, lituræ nesciis, haud sane humilibus, ejus vero expertibus diligentiæ, qua Parthenonis, ut ita dicam, artificium a rudi isto Mycenensi secernitur. Ipse quin etiam Cinna Lucretii, Hortensii, Ciceronum æqualis fuit. Et erant sane ille

impetus (1), illa correctorum impatientia (2), res naturæ consentaneæ, vix mirandæ in adulescenti gente, recenti in studiis, immo, ut ambages mittam, fere barbara. Sed, ut fit, non argumenta desiderabant ut id, quod ex instinctu cæco tantum manabat, ratione defenderent. Cum Græcis disciplinis Græcos committebant, Cratinum videlicet ac Democritum. Interea Lævius floruerat, — eum dico qui viam Catullianis munivit,— priscos flumine, novos cura referens. Is vero circa DCLVI^{m} U. C. annum solus assurgit, id est, triginta ante Romanos Alexandrinos annis (3).

Utrum ex Parthenio an ex Catone Valerio, eorum, qui Attio faverant, liberos Euphorioni et Callimacho, probitate exactæ linguæ, æmulari didicisse credendum est? Alter Bithynus, alter e Cisalpinis: quorum prior iis, quos interpretatur, par dici potest (4), alter in epylliis elegiisque sese saltem exercuit. Nitidis stirpibus, necnon alias ingeneraturis, quodammodo circumdantur: qualia fuere Catulli, Calvi, Cæcilii, Matii, Vari, Memmii, Ticidæ, Cornificii ejusque sororis ingenia. Hi sunt novi isti poëtæ (5) — Euphorionis cantores (6) — νεώτεροι, quos ridet M. Tullius, cum iis σπονδειάζοντα, forte fortuna lapsum a sese, delegat (7).

Est alterum hujus certaminis documentum, nempe XCV^{m} Catulli carmen, de quo infra disputabimus. Cui addere licet ea, quæ sub XIV, XXII, XXXVI n^{is} referuntur, in eodem consonantia, velut:

> At vos interea valete, abite
> Illuc, unde malum pedem attulistis,
> Sæcli incommoda, pessimi poëtæ (8)!

---

(1) V. Ciceronem ad Quintum, 3, 5.

(2) Q. Ciceronis 16 diebus tragœdiæ 4 (ib., 3, 6). Singulorum Lucretii librorum modus, MCCXVII versuum.

(3) Si Liciniæ mentione legis indicium trahas. Contra, L. Müller, *de Re Metrica*, p. 65.

(4) Eum quidem cum Callimacho et Euphorione Lucianus nominat, *de Ratione scribendæ historiæ*, 57.

(5) Vocabulum ap. Cic., *Oratore*, 48, 161.

(6) Id., *Tusculan.*, 3, 19.

(7) Id., ad Atticum, 7, 2.

(8) Catullus, 14, in fine.

Nec tantum iis vocabulis nothum Q. Ennii genus, cum poëticis suis Annalibus, significabatur : fieri poterat ut animosissimus quisque ipsum Romanarum litterarum fontem et originem despiceret (1), seseque erga illum talem præstaret, qualem J. Racinius adulescens erga Petr. Cornelium. Similiter Ennium Maro fastidit, et Flaccus. Certos vero exceperis, ut Catonem, quo Lucilii major numquam fautor extitit, quamquam illum passim, ceu pietatis officio inductus, emendabat, non aliter quam Bl. Pascalem Porturegienses.

Et fuit sane victoria τῶν νεωτέρων, siquidem eorum insistendo vestigiis florem suum Romana poësis edidit ; neque tamen antiquarii idcirco interiere : immo, ut vere dicam, æterni erant. Quæ est, quæso, causa cur veteres tam inique nonnumquam Horatius oppugnet, nisi quod propugnatores iis adhuc plurimi remanebant, quos ex clamoribus multo majorem hominum partem esse dixisses ? Nonne Plautinum sese Augustus profitebatur (2) ?

Cinnanos Catullianosque hoc inprimis designat, quod minutis formis delectantur. « Longum opus expaveo. » Is mos ex Callimacho, qui numeris : « Οὐκ ἄγαμαι ποίημα τὸ κυκλικόν (3). » prosa vero oratione, « τὸ μέγα βίβλιον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ (4), » aiebat. Non alia e schola, in historicis, Crispus prodiit. Diuturna quidem esse non potuit, quandoquidem id summum erat (neque conantes fefellit), magnos Epicorum spiritus cum singularum partium pulcritudine conjungi. Profuisse vero, immo ea carere homines plane non potuisse, quis neget, nisi is, cui mens et ratio omnino præ miraculis ingenii sordeant ? An Vergilius, ubicumque suos vere protulit sensus, non hanc ob rem certe T. Carum superat ?

Alterum, quod hos novos poëtas a prioribus sejungat, altissimum Græcorum studium est : adeo nimii in eorum fabulis videntur. Ut francici sermonis Hamilto Anglorum, Heinius Germanorum, intima quæque decerpserunt, ita vel inter Græcos homines eruditi Cinnani evasere. Hoc vero ipsum iis ridiculo datur. — Ad quem populum loquaris, unice considerandum est : neque enim cuivis umquam scripsit Alexandrinus.

---

(1) *Tuscul.*, l. c.

(2) Suetonius, *Octav.*, 89.

(3) *Epigr.*, 30 (Spanheim).

(4) Athenæus, 3, init.

« . . . . οὐδὲ κελεύθῳ
χαίρω τίς πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει. (1) »

At vero, quicquid de eo judicaveris, — sive felicis sive infausti, certe non mediocris momenti, in hoc quoque, apud posteros novi poëtæ fuere. Hujuscemodi loquendi genera, *Amphrysia vates, matris Acidaliæ,* cinnano, ne et lycophronio dicam, fonte verissime procedunt. Persium in mente habe et, qui secutus illum est, Juvenalem, in fabulosum istum et patulum, quo numquam sese homines expediunt, orbem acerrime concitatos.

Id postremum, tardissime Cinnanos opera sua composuisse. Incohabant, serius confecturi (2), indesinenter corrigebant (3). Optimum longe hujus rei exemplum *Zmyrna* est. Hi sunt, qui Varum Cremonensem, Vergilium ipsum (4) prima quæque et parum cogitata fastidire docuerunt ; quem ipsi morem Horatio tradidere (5), — sane diu non valiturum : erit enim Ovidius, qui malam istam facilitatem in litteras reducat, easque illa pessumdet.

Quodsi res humanæ per easdem vices redeunt, Catullianos haud absurde contuleris prægnantis hujus auctoribus ætatis, quæ fuit apud nos a MDL° anno ad MDC^m. Et sunt quidem rursus haud pauca, quibus inter se differant : Malherbii scilicet in Nostro curam, nec minus Ronsardii eruditionem repereris.

Non ea mens nobis est, ut Nostrum in majus exaggeremus, neu Catullo præferamus Liciniove Calvo, aut etiam comparemus. Sed plura, ut censeo, in illo quam in istorum alterutro portenduntur. Et forsan Veronensem Q. Catulus consul in epigrammatis æquavit (6) : verum, quæ tanti poëmata laboris et scientiæ Cinnanum antecessere ? Primum in Latinis carmen *Zmyrna* fuit, cujus ambages eruditorum commentarios

---

(1) Callimachus, ibid.

(2) Catullus, 35 (ad Cæcilium), in fine.

(3) Acro, de ipso Nostro, ad *Art. Poetic.*, 388. V. ibid. Porphyrium et Scholiast. Cruq.

(4) Donatus, in ejus *Vita*, 9, 31 ; Varius in præf. Vergilii operum (ap. Fabium, 10, 3, 8).

(5) Hor. ad Julium Florum, v. 109 seqq., ad Pisones, 438 seqq.

(6) V. Q. Lutatii Catuli versus ap. Cic., *De Nat. Deor.*, 1, 28, et Gellium, 19, 9.

suscitaverint (1) : id non prætereundum videtur. Jam Romanæ litteræ internas sibi peperere divitias; fontes in iis erupere, e quibus hauriri possit. Alii quidem sunt excitandarum mentium modi, qualis philosophorum ac, si vis, Heracliti : an vero tam parvi reputandum est, eas excitare ut *Alexandra* poëma facit?

Vitam aggredior ignobilem, de cujus præcipuis rebus non omnibus convenit, — opera vero fere obsoleta, si viginti versus et paucissima auctorum testimonia excipias. Hæ sunt tenebræ, e quibus homo nobis revocandus est. Quæ reliquiis traduntur, iis cunctis usurum me jam profiteor; si quid ad Nostrum pertinens forte alicubi tangitur, locum totum exhauriam. Quod meræ suspicionis est, declarabo : nec suspicari aliquando verebor.

(1) Propter ambages dico ; nec me latuere Varronis, Sisennæ de aliis commentarii.

PARS PRIOR

Cinnæ vita.

1. CINNÆ ORIGO. — Paucissimi fuere, qui Helvii nomen gestarunt: id vocabulum ab *helvo* trahitur, quod est *gilvus* in lenius mutatum, — « color vaccarum, qui est inter rufum et album (1), » — et tralatitium capilli significavit colorem. Plebeia gens Helvia est, nec prius ante DXLV^{m} U.C. annum annalibus traditur (2). Ex qua Marcus quidam laudem haud parvam in Bæticis adeptus est (3), aliusque, prænomine Caius, in Galatis (4). Mater quidem Ciceronis Helvia vocabatur, et, si Plutarcho fidas, genita præclare et educata est [καλῶς] (5); quibus rebus patricia haudquaquam declaratur. Iisdem temporibus ejusdem gentis libertinus, Helvius Mancia Formianus, deformitate insignis homo, usque ad provectam senectutem duravit, forensibus in causis versatus, nec qui facile quoquam erubesceret (6). Alius, reipublicæ partibus addictus, D. Brutum voluntaria nece præivit (7).

Ea gens C. Cinnam protulit, hominem nobis ab anno circiter DCXCIV^{o} ad a. DCCX^{m} notum, ita ut neque ejus natales, neque ex qua oriundus fuerit regione, neque natalitium annum perspicue definieris.

---

(1) Festus, v^{o} *Helvacea*.

(2) Livius, 27, 12.

(3) Id., 34, 10.

(4) Polybius, 22, 17, in *excerptis Legat.*; Livius, 38, 20 et 22.

(5) Plutarchus, *Cicer.*, 1.

(6) Cicero, *de Oratore*, 2, 66 et 68; Valer. Max, 6, 2, 8.

(7) Dio Cassius, 46, 53.

Caium quidem prænomen habuit, nec aliter apud Catullum apparet, tribus conscriptum syllabis : « Cinnast Gaïus (1). » Quod vero idem *Helvius* fuerit, id a Gellio Charisioque declaratur (2). *Cinna* cognomen in Corneliis sæpius usitatum : quo fit ut alius dubitaverit, erraverit autem, sed toto cælo, alius (3).

Propinquus esse potuit, seu patrem seu dicas patruum, M. Helvii, qui, undecimo post ejus interitum anno, ultimos in Illyrico oppressit motus (4). Etenim cum, ut mox demonstrabitur, idem fuerit Noster ac tribunus ille Cæsari devotissimus, filii usum opera esse Octavianum verisimile videtur. Nec, quamvis teneri, ejusmodi poëtæ cælibem semper vitam coluere : Memmium satis est reminisci et Calvum (5). Immo ea, quæ de extremis suis somniis Noster narravit, cum uxore aliqua communicata fuisse videntur, sicut sua Cæsari narraverat Calpurnia (6).

Quodsi conjunctionem ejus cum Catullo reputes, magnamque illam Gallorum tunc temporis in litteris inter se æmulationem, Cisalpinum virum fuisse, Vari instar et Cæcilii et Bibaculi et Nepotis, haud absurde credas. Sparsos in orbe Romano Helvios fuisse multa demonstrant (7), sed Brixiæ quoque aliquos vixisse novimus, e Brixiano lapide : « I. O. M. Helvia Fortuna (8) ». Id vero conjecturam inprimis firmaverit, si Catulli XCV° carmini in *Zmyrnam* attenderis :

Zmyrna mei Cinnæ nonam post denique messem
Quam cæptast nonamque edita post hiemem,
Milia cum interea quingenta .... uno
(Versiculorum anno putidus evomuit).
Zmyrna cavas Satrachi penitus mittetur ad undas,
Zmyrnam cana diu sæcula pervoluent.

---

(1) Catullus, 10, v. 30.

(2) Gellius, 19, 13 ; Charisius, p. 81 Keil.

(3) Vulpius in Catull., 95, Ruæus in *Eclog.*, 9, 35.

(4) Appianus, *de Bello Illyrico*, 21.

(5) De Memmio, v. Asc., *Comm. in orat. pro Scauro*, et Val. Max., 6, 1, 13 ; de Calvo, Schwab., *Quæst. Catull.*, 11.

(6) Plutarchus, *Cæs.*, 63 et 68.

(7) Cordubenses (Senecæ mater et matertera), Pompeiani Helvii (*Inscr. Pomp.*, ubi octies et vigesies).

(8) *Corpus inscript.*, 5, 1, 4237.

At Volusi *Annales* Paduam morientur ad ipsam
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sint cordi monumenta sodalis,
At populus tumido gaudeat Antimacho (1).

Quid enim in hoc dicitur? Fore ut Volusii *Annales* Paduæ numquam flumen transeant, — quod alterum Padi ostium est, Padoa, Padua, Padusa diverse scriptum (2). Quod etsi Satracho cyprio opponitur, non est infitiandum naturali rerum serie aliud requiri nomen, scilicet inglorii Cisalpinorum fluvii ut est ipsa Padua, — Athesim puta, sive Mellam Brixianam aut Adduam, — qui pulcerrimum Helvii opus moraturus non sit. Nonne totus iste locus communes duorum ex eadem provincia hominum iras spirare credatur?

Majora sunt, quæ dicturus sim. In quodam Cinnæ fragmento, ceteroqui brevissimo, Cenomanorum nomen legi potest, populi gallici veteris, circa Brixiam Veronamque incolentis (3). Eos Noster Genumanos appellat, quod cum optimarum Strabonis membranarum lectione, Γενομάνοι, consonat (4); ibidemque agit de ambulatione quadam seu itinere in rheda confecto, — celtico vehiculi genere, — equis tracta brevibus per hujus agri æquora :

At nunc me Genumana per salicta
Bigis rheda rapit citata nanis (5).

Ex quibus cunctis moles quædam conjecturarum fit satis densa, ut videtur. Hoc unum addam, nimio Cinnæ in Cæsarem mox exarsuro amore virum non dubie significari e Transpadanis, quibus, ut novimus, præcipue partes conflatæ Julianæ sunt.

---

(1) V. 3, hanc optimam judicavi rationem exprimendi loci sane turbati. De Volusio agi credo, nec tamen quicquam pro *Hortensio* ponendum habui. In v. 4, Munrœum secutus sum. V. 7, Volusius certissime pro Tanusio. Potuit Tanusius ad Viniam, Manlii uxorem, aliquo modo attinere. Cf. Dionem, 47, 7, de Tanusia quadam Vinii. V. ultimo, Euphorionis de Antimacho sensus et Callimachi C. refert.

(2) Varios scribendi modos v. ap. Polybium, 2, 16, 11, Vibium Sequestrem, p. 26 Oberlin, Vergil., *Æneid.*, 11, 457, ubi Valgius quoque a Servio affertur.

(3) Livius, 5, 35; 32, 30; Am. Thierry, *Hist. des Gaulois*, 1, 43.

(4) Strabo, 5, 1, 9; ex MSS. A, B, C.

(5) De pravis lectionibus variorumque conatibus, v. Weichertum, cap. 3, 10. Veram lectionem Gronovius e quatuor MSS. deprompsit.

Non ergo aliter atque ipsum Catullum, natum conjicio Cinnam in iis civitatibus incorrupti moris nec laborem recusantis, quæ imperii virtutisque extremæ fuere (1). An vero ibidem primis etiam studiis vacaverit, in incerto est. Fieri sane potuit, siquidem nec ita divites parentes ejus fuere, ac paulo post Vergilium Cremonæ Mediolanique studuisse novimus. Sed quos ejus institutioni annos eoque natalibus designes ?

Unum est quo in his documento nitaris : nempe XCV[m] Catulli carmen, — de quo supra, — si a XXXVI° non secernas, quod in eamdem male natam Volusii commentationem ludit, ad annum vero DCXCVI[m], ut vir doctus vidit, referri debet (2). Annum jam decimum epyllium suum Helvius informabat. Quodsi Catullo æqualis verissime fuit, annos illud XXI natus incepit : nec sane ea in adulescente maturitas, diligentia et cura negari omnino potest, neque etiam facile credi. Itaque Cinna, ut reputo, major quidem natu Catullo fuit, sed paucis annis, ita ut vere *sodalis* a Valerio nuncupari potuerit (3). Modum quemdam tenere me arbitror, natales ejus a. DCLXIV° ponendo, tertio scilicet prius quam Veronensis in vivis esset.

2. CINNÆ STUDIA ; EJUS *Zmyrna*. — Quæ fuerint ejus studia, quibusve puer in locis versatus sit, hæc maxima nobis igitur nebula cooperiuntur. Attamen Romæ cive suo Valerio Catone magistro in grammaticis usus fuisse videtur, Ticidam vero eroticorum scriptorem in contubernalibus habuisse (4). Quorum prior, sua apud Tranquillum Vita vix illustratus [cui aliquid confertur veterrimis apud Flaccum adventitiis versibus] (5), totum in suis studiis grammaticum tibi reddit, adeo ut sua vel maxima commoda præ iis neglegat. Ejus fuit laus, quam perpendas : *Latina Siren, — Qui solus legit ac facit poëtas.* Neque enim in veteribus tantum grammaticorum opera consumebatur : suæ etiam ætatis chartas vulgabant, ingenia in lucem proferebant commendabantque (6). Ita fiebat ut liberæ cujusdam Academiæ quasi capita

---

(1) Ex *Agricolæ Vita*, 30. De antiquis harum civitatum moribus, v. Martial., II, 16, et Secundum, *Epistul.*, I, 14.

(2) Schwabius, p. 134. Est autem carmen 36 hoc notissimum : « Annales Volusi, cacata charta... »

(3) *Carm.*, 10, 30 ; 95, 9.

(4) Ea, et quæ sequuntur, e Suetonii *Ill. Gramm.*, II.

(5) *Satir.*, I, 10, init.

(6) Suet., op. cit., 3.

evaderent, in qua, sicut apud Conrartium mos fuit, invicem inter sese sua carmina recitabant. Nempe magistri *Dictynnam* Helvius celebravit, e Cretensi fabula assumptæ in cælum virginis quam Minos persequebatur (1).

Is vero, quamquam τῶν νεωτέρων princeps, maxime Romanum poëtarum, si non absolutissimum, omni honore amplexus erat : Lucilium jam dixi (p. 9), cujus Satiras apud Philocomum, demortui vatis amicum, legerat (2). Multi nasus homo hic sane demonstratur. Civiliorem vero Lucilium reddendo elaboravisse eum quoque notavi, in eoque moderatior fuit quam litteratus eques nescioquis (Orbilium ferunt), nihil in suis amoribus mutare persuasus (3). Quod vero Catonis dissertationes in mente Noster habuerit, id nobis apparet e certissima ejus, in iis quæ servavimus, artificialium plebeiorumque vocabulorum consectatione (4). Eadem forte ratione vel tunc vel posthac inductus esse potuit ut metricas veteris fabulæ quæstiones, Varronis et Sisennæ instar, adoriretur (5).

Magister autem suis Valerius si fuit, nec minus sodalis erat, ut qui prætextam a. DCLXXI° nondum exuisset. Ei quidem petulantes Catulli hendecasyllabi dicati sunt, quorum initium *O rem ridiculam (6)!* Ita docti illi, de quibus prædixi, cœtus, nonnumquam apud Eutrapelum cenæ melius vocarentur.

Ad hæc ferme tempora primos Helvii versiculos referam, ut elegos, iambos, choliambos, lascivi carmina generis, nec ea quæ venustate mollitiem compensarent (7). Ceterum mulier singularis nulla fertur, quam posteris sacraverit, Perillæ instar Leucadiæve aut Lesbiæ. Non illo æmulo eamdem Memmius ac Ticida deperiere, non a pestifera illa Clodia irretitus fuit. Quæ ut ejus indolem forte commendant, ita certe ingenio nocuere.

---

(1) V. Callimachum, *Hymn. ad Dianam*, 189-205, ut ceteros fontes omittam.

(2) Suet., l. c.

(3) V. Pseudo-Horatium, l. c. p. 15, n. 5.

(4) V. infra, quæ de Nostri *Propemptico* et epigrammatis dicentur.

(5) V. catalogum, et Partem alteram, in fine.

(6) Catullus, 56. V. quoque Ovidium, *Trist.*, 2, 436 : « Et leve Cornifici parque Catonis opus. »

(7) A.-Gell. 19, 9.

Anno circiter DCLXXXVI°, Alexandrinorum chartis, et, si vis, Catonis jam ipsius exemplo impulsus fuit ad quamdam poëmatis doctissimam formam et exquisitam, quæ disciplinarum quodammodo compendium foret, Euphorioneisque, quorum Romæ studia increbrescebant, componeretur. Jam quidem Ciceronis *Glaucum*, *Alcyonen*, illum vero tetrametrum, in manibus habebant (1). Prope decem quam verissime annos in CD vel D versuum opere perficiendo Noster consumpsit, nec in eo corrigendus Servius est (2). *Nonam* enim *post denique messem* quem sensum habet, nisi decimo anno ?

Plurima ex catulliano in *Zmyrnam* carmine colligi possunt : primum, quanta fuerit litteratorum exspectatio ; deinde, quæ irrisiones ab incomposito quodam scriptorum genere et diffluenti, videlicet istorum qui tragœdias quatuor diebus sedecim, D vero millia versuum annis singulis componere valerent, sicut de Q. Cicerone et Ennianistis traditur ; tum vero, quam una cogitare, una diligere et contemnere Catullus Cinnaque consueverint ; denique, id Catullo liquidum fuisse, pulcerrimum opus a sodali esse conditum. Hic animadvertere libet, quam aperte sensus suos poëta professus sit, quotque gradibus in *Zmyrnam* versuum fervor epistulam ad Cæcilium de ejus *Dindymene* superet (3).

Quod est de *Zmyrnæ* editione, in ipsa, ut arbitror, Helvii patria Cisalpina — Veronæ contendam (4) — facta est. Qua quidem opinione sales haud pauci adduntur iis quæ de Ravennati vaticinatur Catullus : « Paduam Tanusium mersuram, Athesim vero sodali suo fore penetrabilem. » Nam si Romæ ortum poëma esset, quis non videt, etiam Tiberim non superari, parvo detrimento futurum illi fuisse ?

Ita, Catullo et, ut opinor, Catone quoque patrocinante, amplissimam *Zmyrna* fortunam adepta est. Doctrina litterati delectabantur, sudoris novennium venerationem aliis injiciebat. Id quidem in pro-

(1) Plutarchus, *Cicer.*, 2 ; Nonius, 1, 330 ; Jul. Capitolinus, *Gord.*, 3.

(2) « Quem libellum X annis elimavit. » (Serv. in *Ecl.* 9, 35). Vulgo creditur I e IX excidisse.

(3) Catullus, 35, in fine : « Est enim venuste — Magna Cæcilio incohata Mater. »

(4) Tantummodo ex eo, quod maxima in agro Cenomanorum urbs erat (Strabo, 5, I, 6).

verbium abiit, ex iis quæ absque auctoris recordatione memorantur, ut etiamnunc fit de notissimo illo *Sic vos non vobis* (1).

In quantum nobis tam longinqui aura sæculi pervenit, neque fastidia neque repulsam ullam a suis lectoribus perpessæ sunt eruditissimi carminis tenebræ. Hæc enim multo posterius invaluere. Tunc vero Euphorionis fama, quem ejus poëtæ studiosissimi Homero quoque æquabant (2), Cinnæ laudem tutabatur, ambosque validissima Græcorum et Græcissantium manus præsto erat ut defenderet. Unam quidem rem excusare Catullus curat, scilicet carminis brevitatem, cum pro diuturnitate laboris major etiam quam in *Hecale* longitudo exspectaretur (3).

Commentatorum gentis præda opusculum Nostri factum est, neque tamen, ut opinor, ante ejus mortem, quæ maturior accidit (4). Id sane probaverim, tot in brevi tempore epylliorum editionem, — ut *Dindymenes*, *Thetidis*, *Ius*, alterius *Glauci*, — *Zmyrnæ* provenisse eventu, qui felicissimus fuisse omnium videtur (5).

3. ITER BITHYNICUM. — Haud ita multo post Catullus Cinnaque C. Memmii cohorti proprætoris apud Bithynos adscribebantur (6). Hic quidem in manifesta luce ambulas, atque utinam in eadem usque permaneres! De Memmio ut litterato Cicero optime dixit: « C. Memmius L. F. perfectus litteris, *sed græcis*, fastidiosus sane latinarum, argutus orator verbisque dulcis, sed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem (7). » Cetera, quæ ad istum pertinent, ex Catulli vita satis omnibus explorata judico. Unum hoc

(1) Horatius ad Pisones, 388 : « Nonumque prematur in annum, » quem Fabius citat (ep. ad Tryphonem, 5), jam non Catullum in mente habens.

(2) Cic., *De Divinatione*, 2, 64. Et erant quædam ejus plane homerica, quale fr. 51 Meineke.

(3) De *Hecales* pondere, v. schol. in *Hymn. ad Apoll.*, 106, et Th. Reinachium, *Revue des Etudes Grecques*, 1893.

(4) Ejus rei argumentum est felicissimus Crassicii commentariorum eventus. Æquales enim ipsum interrogare potuissent auctorem.

(5) Vetitos quidem amores *Thetis* et *Io*, sicut *Zmyrna*, referunt ; prægnantes puellas *Io* et *Zmyrna*. De incestis, v. 403 *Thetidis* habes.

(6) Schwabius, pp. 158-175.

(7) Cicero, *Bruto*, 70.

addiderim, simplices, ne quid gravius dicam, poëtas fuisse, qui in pretio eum aliquo posuerint (1).

Cohors divitias (2), prætor ex ea sermonum consociationem quærebat. Factum est ut aliquando illos trans maria grammatici comitarentur (3).

Quod ad nostram πομπὴν attinet, vere a. DCXCVII[1] profecta est, atque, ut delicato homini [quod non contigit Plinio] (4) nausea pepercerit, Cii, in celebratissimo fabulis loco (5), Memmius appulit. A Cio vero æquor quoddam introibant, pingue juxta tepidumque, montibus cinctum (6), ubi lacus, Ascanius nomine, XXV millia in longitudinem porrectus (7), Nicæam — hoc caput regionis — alluebat, quadratam urbem, XVI stadia in circuitu habentem (8).

Ea novæ ædificationis fuit, theatro decorata, sed præcipue gymnasio, in media urbe sito, ex quo, rectissimis Nicææ viis, mœnium portæ quatuor prospiciebantur. Græcanicæ studia doctrinæ locum inprimis celebrabant; quo quidem oriundi fuere Hipparchus e cæli peritis, et Parthenius, Alexandrinorum ultimus, et fabularum scriptor Isigonus (9).

Hæc fuit occasio Cinnæ nanciscendi exquisitissimum *Phænomenon* librum, malvacea charta, ut mos aliquoties in Oriente fuit, exaratum, quem amico cuidam ex Italis seposuit (10). Item Catullus lintea pictis Bithynis seu καταγράφοις distincta mercatus est (11). Hæc cohortibus consuetudo fuit, sibi familiaribusve innatas aliquas provinciæ res secum auferre (12).

---

(1) Lucretius, 1, 43-4.

(2) V , exempli causa, Cæsaris epistulæ fr. apud Cicer. ad Fam., 7, 50.

(3) Suetonius, *de Ill. Gramm.*, 5.

(4) *Epistul.*, 10, 28.

(5) Strabo, 12, 4.

(6) Reclus, *Géog. univ.*, 9, pp. 500 seqq.

(7) Plinius major, 5, 40.

(8) Strabo, 12, 4, 7. Item, quæ sequuntur.

(9) Strabo, ib., 9.

(10) V. infra, catal. De malvaceis chartis, v. Arevalii notam ad Isidori *Etymol.*, 6, 12.

(11) Catullus, 25, 5 (ex Teuffelii interpretatione).

(12) Id., 12, 13 seqq.

Interea quarum causa profecta cohors fuerat divitiæ nusquam apparebant. Erat quidem tota in specie provincia, asperius modo conculcata militia ut jam resurgere inciperet (1). Verba Memmius amicis dabat (2). Ea res una solatii aliquid illis afferre potuit, sermones inter se misceri de Urbe ac studiis (3).

Æquinoctii tempus, ventis turbidum (4), fastidia omnium, quæ tanta fuerunt de Bithynia, augere etiam debuit. Elegantissimum carmen est, quo Valerius cohorti, phrygiis campis valedixit ; in Cio portu navim deinde conscendit. Neque solus, ut arbitror : immo *Prusiaca* de qua Helvii versus agunt *navicula* (5) non aliena fuit a *phaselo* illo quem omne jam ævum novit (6).

Nam id vere navigium fuisse, tenendum existimo, nec tamen in Benaco lacu consenuisse (7). Phaseli nomine nulla certa navis magnitudo comprehenditur, cum unam in illis militum cohortem insedisse sciamus (8), triremesque aliqui fuerint (9). An is emptus fuerit, sane dubito, sed ab utroque conductum haud ægre credas. De itinere loqui supervacuum arbitror (10).

4. Quæ iter consecuta sint. — E Transpadanis, ut videtur, ad aliquem Romæ amicum — Varronem Atacinum dicerem, si tunc græce scivisset (11), — Arati libellum ex Asia reportatum Helvius misit. Carmen libello adjunctum habemus ; cujus *vexi*, adeo perlucidæ

---

(1) Id., 10, 9 seqq. V. Plutarchum, *Lucullo*, 14, Appian., *de Bello Mithr.*, 78.

(2) Catullus, 28, 9-10.

(3) Id., 46, 9.

(4) Ibid., 2.

(5) V. infra, catal.

(6) Catullus, 4.

(7) In quo plane recentissimis Catulli editoribus Gallicis adsentior.

(8) Sallustius, *Hist. Rom.*, 3 (ap. Nonium).

(9) Appianus, *de Bellis Civil.*, 5, 91.

(10) Per Lampsacum (Cat., fr. 2 Müller), Rhœteum promontorium (id., 101), Mytilenen, Smyrnam, Ephesum, Miletum (id., 46, 6), Rhodum, Cycladas (4, 7-8), Ionium sinum, Ravennam Anconemve (ib., 6).

(11) Non ante a. 711 Græcam linguam didicit (Hieron. in chr. Eus.).

sententiæ, per *vehenda curavi* interpretari, ut Burmanno placuit, admodum ridiculum est; nec male Schwabius in hac re vidit (1).

Cum vero Romam regressus esset Catullus, facetus illi cum Quintilii Vari amica sermo fuit, equestris e Cremona juvenis (2), quem suorum in litteris fastidiorum participem Veronensis adhibebat (3). De Bithynis egerunt necnon et de cohortis *lucello* : neque omnino reticuit Catullus. « Quid? scortillum ait utpote nescioquid agitans, non ex hisce e Bithynia hominibus ad lecticam tecum adduxisti? » Atqui ὀκτοφόρους significabat, quæ regia luxuria erat (4) : innata rusticitate muliercula loquebatur. Ille vero, quem male puderet : « Id quidem potui. — Ergo, inquit, mi Catulle, eos, si vis, mihi commoda. » Sarapim visere in animo erat, cujus extra pomœrium ædes tunc ex legibus erant (5). Catullus, ut propriis sese lapsum sensit insidiis : « Mane, erravi : Cinnæ sunt, — *Gaïi* Cinnæ: verum ego et ille idem sumus : sic factum est... »

Ubi vix adnotandum reputo, ut nihil in Catulli μεγαλαυχίᾳ veri fuisse, ita in ejusdem excusatione; multumque cachinnum eam C. Cinnæ sustulisse. Quid credendum sit, istis versibus tibi præstatur :

> Respondi, id quod erat, nihil neque ipsis
> Nec prætoribus esse nec cohorti,
> Cur quisquam caput unctius referret,
> Præsertim quibus esset inrumator
> Prætor, non faciens pili cohortem (7).

Non fuit ea tamen via, quæ aliquid in amborum scriptis non progenuerit. Nam et Catullum, ut conjicio, Magnæ Matris festorum

---

(1) Ipsum carmen v. infra. Burmannus, *Anth. lat.*, 1, 251, v. 2, ibique nota. Schwabius, *In Cirin carmen obs.*, p. 8. Inepte Schœll (2, 237) præfixum *Zmyrnæ* epigramma credidit.

(2) Hieron., op. cit.; Porphyrius, ad Hor., *Carmina*, 1, 24.

(3) Catullus, 22.

(4) Cicero, *Or. de Supplic.*, 11, 27; ad Quintum, 2, 10.

(5) Dio Cassius, 47, 15.

(6) Catullus, 10 (totum expressi).

(7) Ibid., 9-13.

memoria movit ut turbidum illud *Attidis* carmen conderet (1), et Helvium eorum, quæ ipse vidit, imago, ut *Polionis Propempticum* meditaretur, nemini hactenus satis intellectum, de quo igitur plura mihi disserenda sunt.

Hujusmodi opus definiri potest, sermo quo abeuntem prosequaris amicum (2). Manent prosa conscripta Himerii, manent numeris Statii Sidoniique (3). Sunt etiam, quæ nomen non habeant, rem præstent, ut illud *Sic te Diva*, quod Statius æmulatur, aut æque cognitum *Vertumnum Janumque*, quod Arvernorum episcopo in manibus fuit; similiter Vergilii *Pharmaceutria*, Polioni vere a. DCCXV[i] dicata (4). Atqui, si plerisque credas (5), ipsum Asinium in Dalmatarum gentes proficiscentem cinnanum *Propempticum* prosecutum esset; quem turpissimum errorem nusquam confutatum video.

Iis quæ de cinnanæ mortis tempestate dici possint neglectis, in sola de operis fragmentis disputatione versabor. Quorum unum est gravissimum, a Weicherto pariter ac Muellero omissum ; verba sunt pauca, ex Hygini Commentariis deprompta, eam Polioni viam describentia : a Corcyra Action, — ab Actio ad meridiem, circummeata Leucate (6).

Quis vero situs cælumque fuerit Parthinorum, plane notum est. Fuit gens olim socia Bruti (7), quam a. DCCXV° Polio oppugnaturus erat (8). Homines bellicosissimi in montibus circa Dyrrhachium procul a Corcyra septemtrionalem plagam habitabant (9). Quid de Polionis itinere Vergilius ?

> Tu mihi seu magni superas jam saxa Timavi,
> Sive oram Illyrici legis æquoris (10)...

---

(1) Id., 63. De Cybele Bithynica, v. Manilium, 4, 756 seqq., Plinium, *Epist.*, 10, 58 ; de Atti Bithynico, Arrianum, *Bithyniacis*, fr.

(2) Menander rhetor (*Thes. ling. græc.*, v° προπεμπτικός).

(3) Photius, cod. 243 ; Statius, *Silv.*, 3, 2 ; Sidonius, *Carm.*, 24.

(4) Hor., *Carm.*, 1, 2, *Epist.*, 1, 20 ; Verg., *Eclog.*, 8.

(5) Inprimis J. H. Vossio ad dict. *Eclog.*, quem secutus est Weichertus.

(6) V. catalog.

(7) Appianus, *de Bell. Civ.*, 4, 88.

(8) Id., 5, 75 ; Dio, 41, 49.

(9) Plinius major, 3, 26, 4, Dio, 48, 41.

(10) *Eclog.*, 8, 6-7.

Is est nodus quem facile a Weichertianis explicari non posse confidam. De grandi Helviano in *Anathemata* loco (1), hoc dicam, longe lucidiorem fore si Delphorum ibi thesauros *describi* potius arbitremur, quam eosdem cum Polionis præda, quamvis opima, *conferri*. Versu altero ita concepto : « Sacris congestos undique Delphis, » mihi cum Barthio fere conveniret : nunc vero *clausam* quodammodo sententiam habes, in quam hujus loci cui, si Barthio credas, alluditur, mentionem nullo plane modo ingerere possis. Quæ verissime loca in mente Cinna habuerit, ea circumjectis tantum sententiis declarabantur : fuere vero ista Delphorum situs ac monumenta *per se descripta*, nec quibusvis collata aliis.

Quodsi quatuor hasce stationes inter se connexueris : Corcyram — Action — Leucaten promontorium — Delphos, — nonne Athenas viam per Corinthum fieri quam planissime videatur (2)? Tale quidem iter plerumque splendidissimorum juvenum studiis quasi fastigium imponebatur (3). Polio vero, ut satis scimus, a. DCLXXVIII° ortus, forum a. DCC° adiit, occasionem nactus in C. Catonem accusationis (4). Ergo ipsa tempestate reditus sui, menteque adhuc græcis rebus occupata, poëma istud Helvius Asinio dicavit (5). Quid si, ut probabile est, hoc idem iter Roma profecti Memmius et sui fecerint? Notum autem dilectumque Catullianis adulescentem fuisse, vix memorandum arbitror.

Est enim leporum
Disertus puer ac facetiarum (6).

Multo maturius quam *Zmyrna*, in qua spes maximas famæ reposuerat suas, id alterum carmen sane perfectum fuit. Potuit *Pharmaceutria* Polionis reditum exspectare, sed nequaquam *Propempticum*,

---

(1) V. infra, cat. : « Nec tam donorum, etc. » Primus Barthius hic de Delphicis agi thesauris intellexit, sed Parthinicæ prædæ eos conferri voluit (Weich., 3, 2).

(2) Cf. Cicer. ad Attic., 5, 9 et 10, et Propertium, 4, 21.

(3) Cicer., *Bruto*, 46, ad Atticum, 12, 32, etc.

(4) Dicta est sententia a. d. 3 N. Quintil. (Cic. ad Att., 4, 15). De eadem causa, v. Senec. Rh., *Controv.*, 34 ; de ætate Asinii, *Dial. de Or.*, 34. Plenum et integrum annum Athenis remanere Asinius potuit, a fine a. 698 ad ver a. 700.

(5) Seu mensibus æstivis a. 698.

(6) Catullus, 12, 8-9.

quo ut itinerario uti Polio deberet. Videtur ergo medium tenuisse inter cotidianas lucubrationes, ut litterulam sodali destinatam, ac laboriosa opera quæ sicut tui monumenta exigas. Satis tamen in illo comparebat doctrinæ, ut grammaticis — quod et evenit — ipsum vigilias pararet.

5. ROMANÆ CINNÆ OCCUPATIONES. — Intera Catullus sese in istud epigrammatum injecerat bellum, in quo Calvus eum et Bibaculus comitati sunt (1). Non sæpe, ut opinor, clamosa illa Varronis *Tricipitina* revolvebatur (2), sed igneum profluensque carmen *Quis hoc potest ?* etc., per cunctorum ora volitavit (3). Eorum, quæ de republica cecinerit Helvius, nihil admodum servatum est, ne memoria quidem, verum ejus nomen reperias in catulliano quodam epigrammate (4), quo Pompeius, Mamurra Cæsarque una tanguntur:

Consule Pompeio primum, duo, Cinna, solebant
Mœcillam : facto consule nunc iterum,
Manserunt duo, — sed creverunt milia in unum
Singula. Fecundum semen Adulterio!

De Tertia Mucia agitur (5), quam rediens ab Asiatico bello, propter famosas libidines, dimittere coactus Pompeius erat (6). Cum postea M. Scauro, magnificentissimo ædili, nupsisset (7), præturam viro in Sardinia gerente, multo magis in omnia dehonestamenta præceps ruit (8). Nec id extremum erat, cum altero post anno, DCCII°, in Gemelli lupanari, — quod vix credibile, — prostandum illi foret (9).

Cujus a. DCLXXXIV° mœchi Julius Cæsar et conjunctissimus ei

---

(1) Calvus, fr. 3, 18, 19 Müller ; de Furio, Tacitus, *Annal.*, 4, 34.

(2) Græce Τρικάρανος (App., *de B. Civ.*, 2, 9), a. 694 conscripta.

(3) Vergilius, *Catal.*, 3 (imit.); Suetonius, *Cæs.*, 73.

(4) Catullus, 113.

(5) Prænomen ex Asconio notum. De deminutivo, cf. Suet., *Oct.*, 69 ; *Mœcillam* quam *Mucillam* malui, ex pristinis lectionibus, quamquam parum probis (*Mœchi : illo*), et nota permutatione U vocalis cum Œ.

(6) Cicero ad Atticum, 1, 12 (kal. jan. 693), Plutarchus, *Pomp.*, 30.

(7) Asconius, *Comm. in Or. pro Scauro.*

(8) Annus ex ipso carmine constat.

(9) Val. Max., 9, 1, 8.

Mamurra fuisse existimantur : « *Pulcre convenit*, etc. (1). » De Cæsare quidem inferiori tempore (DCXCI°) plane constat (2).

Itaque, si non satis liquet Helvium amici consortem pugnarum fuisse, id tamen non dubitandum, evenisse ut sine ejus iracundia, immo cum plausibus, *unicum imperatorem* illiusque adulteria homines notarent. An eum cum ceteris poëtis, Catullo, Memmio, Calvo, cæsarianam anni DCC[i] fuisse prædam credamus (3) ? Fieri potuisse non negaverim, sed non tantam ei reditus viam fuisse arbitror.

In quibus hoc non satis adnotatum video, Catullianorum in Cæsarem odia forsan crevisse ex itinere Bithynico. E Bithynia enim, ut probe scimus, C. Julii orta infamia erat (4). Quæ non de regia ejus amicitia, a Græculis, a sociis Bithynicis (5), audire Catullus Cinnaque debuerunt ? De quibus rebus jam Memmius a. DCXCVI° apud Senatum magna vi disseruerat (6). — Sed hæc in transitu tantum.

Quam gravem austeramque sententiam CXIII[m] Catulli in clausula comprehenderit, neminem fugere debuit : hæc est *patavinitas*, sive cisalpinæ severitas institutionis. Nam, si parum casta *Zmyrnæ* materies fuit, non ideo Nostri mores infamia digni sunt, ita ut illi cum amico de adulteriis non convenire potuerit : nisi forte *Myrrha* tragœdia vitam culpet Alfierii, seu *Manfredus*, ut Gœthius credidit, Byronis.

> Nam castum esse decet pium poetam
> Ipsum, versiculos nihil necessest,

Furio et Aurelio respondebat Catullus (7). Equidem Cinnæ cogitationes non sinistro vocabulo appellem : facta vero meliora arbitror. Cujus rei argumentum pæne tangimus cum in libidines quasdam invehitur vix naturæ consonas, Neroneque jam dignas imperatore, quæ Romæ tunc gliscere cœperant.

---

(1) Catullus, 57.

(2) Suet., *Cæs.*, 50.

(3) Suet., ib., 73 ; Schwab., cap. 9. Eo quidem a. 700, Memmii petitionem Cæsar adjuvit (Cic. ad Att., 4, 17, ad Quintum, 3, 8).

(4) Suet., ib., 2.

(5) De quibus publicanis, v. Cic. ad Fam., 13, 9.

(6) Suet. ib., 49.

(7) Catullus, 16, 5-6.

Fuit in prælio Magni adversum Caucasi gentes singulare aliquid : cothurnos peltasque, solitos Amazonum habitus, reperiri, sine ullo mulieris corpore (1). An ex fabulosi generis recordatione tribunus legatusve Pompeii, bello ditatus, — Scaurus ipse, si vis, Æmilius, — domi armatas sibi Amazonas instruxerit? « *Miseras*, Cinna exclamavit, *audet galeare puellas* (2)! » Haud ita multo post, Antonium ejusque Cytheridem leonibus junctis invectos cernere poterat (3), fabulasque, quarum imaginibus delectabatur, vivas spirantesque respuit.

6. De novis quibusdam ejus amicis. — Mortuo Catullo ea rursum Helvius in annos plurimos operitur nebula, quæ per Bithynicum iter opportunissime sublata fuit. Sunt vero quædam poëtarum amicitiæ tunc temporis, ut scimus, illi natæ, quas ne funus quidem ejus abolevit.

Artissima fuit L. Varii Rufi epici, posthac florentissimi *Thyestæ* scriptoris. Cæsaris partium, ut et ipse Helvius, sese profitebatur, ejusque mortem nondum plane exoleto carmine defleturus erat (4). Amborum familiaritas celebrabatur, nec sine altero alter in sermonibus occurrebat, sicut de ipso Vario Vergilioque futurum erat (5).

Cui Cordum Africanum, disertum hominem, catulliani cinnanique versus æmulum, addere licet (6), necnon C. Valgium Rufum, cujus elegi, idyllia, epe, didascalica referuntur, Messalæ clientelæ postea adscriptum (7). Manent hujus de Cordo versus, qui ipsius Cinnæ mentionem faciunt.

Ille canit quali tu voce, Catulle, canebas
    Atque soles numeros dicere, Cinna, tuos,
Dulcior ut numquam Pylio profluxerit ore
    Nestoris et docti pectore Demodoci (8).

---

(1) Plutarchus, *Pompeio*, 35. Captas quasdam Appianus tradit, *de Bello Mithr.*, 103.

(2) V. infra, catal. De Neronis Amazonibus, Suet., *Ner.*, 44.

(3) Plutarchus, *Anton.*, 9.

(4) V. quæ de ejus carmine disputavimus in altera thesi, pp. 88-9.

(5) Vergilius, *Bucol.*, 9, 35 ; Apuleius grammaticus, *de Orthog.*, 43, 58, si credere dignum est.

(6) Schol. Cruq. ad Hor. *Epist.*, 1, 19, v. 15. Idem ac Codrus *Ecl.* 7.

(7) Tibullus, *Panegyr. Messal.*, 180.

(8) Schol. Veron. ad *Eclog.* 7, 22.

Talibus sese invicem onerabant laudibus, cum e contrario inter Cinnanos Anseremque eroticum (sed spissiore vena) inimicitiæ intercederent graves, etsi officia Catullo non parva in ejus amoribus præstiterat (1). Cujus in nomine non sane facete jocabantur homines, et ipse Propertius jocos iterabit (2).

P. Vergilius Maro Mantuanus anceps quid inciperet adhuc videbatur : *Culicem* informaverat, quædam ex Parthenio latine vertebat (3), nec, jam quatuor post Cinnæ obitum annis, sese adhuc illo Varione dignum arbitrabatur. Notissimorum versuum quibus hanc modestiam profert opportunitas nos impellit ut quæramus an, ex plerorumque sententia, Helvium anno DCCXIVº, quo conscripti sint, semper in vivis fuisse, iis firmetur.

7. De quodam Vergilii loco disputatio. — Versus ipsos adduco :

> Nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
> Digna, sed argutos inter strepere Anser olores (4).

Quod vulgo credunt, id non magis Vergilii verbis probatum videtur, quam ipsum vixisse Vergilium tum cum Statius dixerit : « *Nec tu divinam Æneida tenta.* » Neque in his neglegere debes quæ de vergilianis moribus Asconius tradidit : « *Refert etiam Pedianus benignum cultoremque omnium bonorum atque eruditorum fuisse, et usque adeo invidiæ expertem, ut, si quid erudite dictum inspiceret alterius, non minus gauderet ac si suum fuisset* (5), » quo fit ut Cinnam vel mortuum ab illo extolli potuisse non mireris.

— Sed nimiæ laudes fuerunt. — Quomodo scis? Ut mox videbis, ea defuncto Cinnæ fama remansit, ut ejus interpretatione clarissimi quidam facti sint. Immo multa, mehercule, in Cinna erant quæ suam Vergilio vere viam aperirent.

---

(1) Catullus, 68 b, 117-8.

(2) Verg., *Ecl.*, 9, 36 ; Prop., 3, 34, v. 83-4.

(3) Schol. in Gell. MS. Ambros.

(4) Vergil., *Ecl.*, 9, 35-6.

(5) Donatus, *Vita Vergil.*, 17.

— Mortui hominis nomen vivi conjunctum nomini quis credat ? — Nonne ita de Racanio ac Malherbio apud Bolæum (1)? Quid, si cara ipsi Vario ac venerabilis Cinnæ memoria fuerit?

Nunc vero tempus est ut, quibus causis non modo non infitier, verum etiam defendam Helvium poëtam anno DCCX° interiisse, fusius explicem. Quod eam vim habet, ut idem fuerit Noster ac tribunus ille in tumultuario Cæsaris funere misere trucidatus. Et valuit olim quam tutamur opinio, donec alteram Vossius et Reiskius suscitarunt, quæ etiamnunc fidem plerorumque habet (2).

Hæc vero rationibus nititur tribus: primum, consilio quo formatum sit *Propempticum* ad annum DCCXV^m relatum ; tum nonæ Eclogæ versibus; denique miro auctorum silentio de poëticis tribuni Cinnæ studiis : quod solum argumentum mihi jam excutiendum remanet.

Verum, ut ingenue fatetur ipse Weichertus, ea tantum historicus prædicat, quæ suo conducant proposito; item non fuit necesse grammaticis, aliquem Nostri locum referentibus, quæ obiisset munia in republica memorare (3).

Mihi vicissim animadvertere licebit, pro Helviorum in fastis paucitate, sane mirandum esse eum anno DCCX° vixisse tribunum, cujus nomina singulis æqualis poetæ nominibus responderint (4). Jam vero poëtam in republica versari nihil admodum incredibilis habuit Memmii tempestate et Calvi et Polionis et Cornificii et Galli. Immo quis fuit iste L. Ticida, eques romanus, qui sub Cæsaris imperio in Africa militavit (5)? Nonne forsan ipse Nostri contubernalis?

---

(1) Bolæus, *Art. Poët.*, 1, 17-8.

> « Malherbe d'un héros peut vanter les exploits,
> Racan chanter Philis, les bergers et les bois. »

Id anno uno Racanii obitum antecessit. — Contra Weichertum, p. 157.

(2) V. Weichertum in ambarum partium tabula, pp. 153-4. Nostri (e quibus Muretus et I. Vossius ad Catullum, Burmannus ad Suetonii *Cæsarem*, Glandorpius, *Onomast. Rom.*, p. 393) Plutarchi *Bruto* nituntur. E Gallis V. doctissimum Benoistium inprimis Weicherto adsentientem video. Duruy nobiscum stat.

(3) Weichertus, p. 154, contra J. H. Vossium.

(4) *C. Cinna* (Obsequens), *Helvius Cinna* (Sueton., Dio), *C. Helvius Cinna* (Val. Maximus).

(5) Ps. Hirtius, *Bell. Afric.*, 41.

Quod maximum omnium est : librorum etiam testimonium servavimus, id est Plutarchiani *Bruti*, qui interfectum Cinnam « *virum in poësi occupatum* (ποιητικὸς ἀνήρ) » appellat (1). Nec quo functus magistratu sit nosse videtur auctor, — id fatendum, — neque scilicet cujus violentæ particeps abrogationis fuerit, cum eam tamen in ejusdem *Cæsare* narratam reperias.

Sunt qui πολιτικὸς apud Plutarchum legi pro ποιητικὸς velint, quos impugnat Weichertus (2) ; sed idem Plutarchum confusionis arguit, ad hoc unice inductus ob vergilianum, de quo disputavimus, locum.

An vero dicas (nam omnia exhaurio) notam Cinnæ cum multo junioribus poëtis necessitatem, Valgio inprimis, argumentum esse ut anno DCCX° superstes fuerit ? Verum prætextatos in ejus amicitia versatos nihil vetat, multa asserunt. Nec alius Polio fuit hujus *Marrucine Asini* tempore, et vix bullam Pisonis liberi deposuerant, cum grandem istum de litteris *Sermonem* Horatius illis conscripsit. Ceterum, ut, quid sentiam, prædicem, hæc maxima superstitis Cinnæ probatio foret, *Propempticum* anno DCCXV° elaboratum esse : in quo maxime alterius defensio partis claudicat.

8. Cinnæ Tribunatus. — Anno DCCIX , Julius Cæsar, in Parthici belli apparatu, magistratus plurimos designavit designarive jussit in annos insequentes : decem vero tribunos in annum DCCX[m] (3). Dimidios Cæsar ipse designabat ; quod est de ceteris, suffraganti cuique litterula tradebatur his conscripta verbis : « Cæsar dictator illi tribui. — Commendo vobis illum et illum, ut vestro suffragio dignitatem suam teneant (4). » Eorum, qui tunc tribuni creati sunt, octo novimus : L. Antonium, Pontium Aquilam, Ti. Canutium, C. Cascam, L. Cassium, C. Helvium Cinnam, C. Cæsetium Flavum, L. Epidium Marullum (5). Ex quibus Cinna ab ipso dictatore, cujus familiarissimus erat, certe designari debuit.

---

(1) Plut., *Bruto*, 20.

(2) Weich., p. 154, contra Xylandrum.

(3) Dio, 41, 49.

(4) Suet., *Cæs.*, 41.

(5) Ultimi duo ex omnibus auctoribus noti. De primo, v. Dion., 45, 9, de altero Suet., *Cæs.*, 78, de tertio Dion., ib.,6, de quarto eumdem, 44, 52, de quinto Cicer., *Philipp.*, 3, 9. De Nostro jam videbis.

Nunc autem quomodo, natus annos amplius quam XL, semperque in studiis solis intentus, hoc juvenis munere fungi non recusavit ? Respondendum est primum, quæ vera Cinnæ fuerit indoles, plane in obscuro nobis versari. Fuere alii otiosæ pariter vitæ et elegantis, quibus res gerere publicas haud sane displicuerit, ut ex ipso Memmio et Mæcenate apparet. Deinde, rerum potiente Cæsare, nihil jam fere nisi nomen tribunatus erat, aut, si vis, primus in cursu honorum gradus. Cæsar quidem amicos temere suos magistratibus remunerari consueverat (1). Fieri sane potuit ut domino vel sic non essent inutiles ; quod de Helvio sicut de L. quoque Antonio evenit (2) ; et hanc solam ejus facti excusationem probaveris, tribunatum pro officio recepisse pietatis.

Cujus legis auctorem sese professurus esset, ea, si Tranquillo Dionique fidem adhibeas (3), nescio pejor fuerit an insolentior. Absenti Julio, cujus feminarum furores celeberrimi, quascumque vellet ducere permisisset. Decreti quidem formam in manibus nemo habuit, verum mortuo dictatore habenas linguæ dedisset Helvius. De rationibus dubitatur. Utrum credas filio imperium tradere Cæsarem voluisse (quod Romanum Napoleonis divortii exemplum fuerit) ? An Cæsarianum principatum Asiatico regno magis adfinem facere ? Etenim Asia Major mox in manus ventura videbatur, et suis ipse factis viam novis moribus Alexander instraverat (4). Ceterum inveterata dimissionum consuetudine nonne jam Roma multiplici Orientalium matrimonio æmulabatur ?

Consilium ipsum ab Helvio conceptum non adseveres. Hoc vero non jam ambiguum, quod in seditiosos effecerit collegas (jan. anni DCCXi).

Cum forte diadema in Rostris repertum esset, Cæsetius et Marullus tollendum curavere, Julium publice laudantes quod eo processisset magnitudinis, ut sibi talibus nullo modo opus esset. Paucis post diebus iidem in vincula quemdam conjecere accusaveruntque, qui alios inter plurimos Cæsarem equo Latinis remeantem Regem salutaverat ; quod

(1) Dio, 43, in fine.

(2) Is legem tulit ut absens Julius decreta facere posset.

(3) Suet., *Cæs.*, 52, Dio, 44, 7.

(4) V. Duruy, *Hist. des Rom.*, 3, p. 395 ; cf. Antonii ἀπολογισμόν, Plut., *Ant.*, 36.

nimium reipublicæ studium dictator ægerrime tulit. Tum vero tribuni edicto questi sunt liberæ jam voci locum non remanere.

Res gravissima fiebat : Cælii vel Dolabellæ renovari incepta videbantur. Et quibusdam Patribus necari seditiosos placebat : Cæsar vero ut ab Helvio Cinna abrogaretur potestas, ipsi curia pellerentur, contentus fuit (1) ; id in ædibus Concordiæ factum est (2). Elaboravit quoque Cæsar, sed frustra, ut C. Flavi pater filium abdicaret (3). — Neque id magna molestia passi sunt (4). Fuere e Quiritibus qui utrique in consulatum suffragarentur (5). Plerique eos, qui vere peccassent, non tactos credidere, eæque de tribunorum pœnis querelæ factæ sunt, quæ Cæsarem altius penetrarent (6). Helvio autem sane fuit qui mortem in eum ipsum annum vaticinaretur, quod fato quodam evenerat iis qui collegas amoverant suos (7).

9. CINNÆ OBITUS. — Nec sese adeo vera prædicare credebant. Ab idibus enim Martiis Helvius Cinna a diis ipsis designari visus est ut, cui nimis fideliter vivo inserviisset, eum in funere comitaretur.

Conjurati quidem in Capitolio manebant, plebis sensus non satis exploratos habentes, etsi corrupta a Cassio Forum multitudo implebat. Tum Cornelius Cinna prætor — is forsan qui et jureconsultus fuit (8) — e parricidis unus, quamquam adfinis Cæsari, in plateam descendit, ibique, illis gestibus quis Italorum hominum mentes tantummodo percelluntur, purpuram, qua indutus erat, laceravit, ea quæ a tyranno accepisset insignia sese non amplius laturum obtestans. Interfectores vero digna majoribus patrasse ; vocandos, honoribus cumulandos (9). Etiam de pulsis restituendis tribunis egit (10).

---

(1) Dionem secutus sum, 44, 9 et 10. Is solus Cinnam nominat.

(2) Nicolaus, *Vit. Cæs. (Aug.)*, 20. Quomodo rerum fidem Cæsariani corrumperent, hic plane videas.

(3) Val. Max., 5, 8, 2.

(4) Plut., *Cæs.*, 61.

(5) Suet., *Cæs.*, 80.

(6) Plut., ibid.

(7) Obsequens, 130 ; cf. Dion., 46, 49.

(8) *Dig.*, 1, tit. 2. E Servii discipulis.

(9) App., *de Bell. Civil.*, 2, 121.

(10) Ibid. V. quam impudenter de iis Nicolaus mentiatur (op. cit., 22).

Post diem autem tertium, apud Telluris ædem, idem prætor, resarta prætexta, Senatum introire parabat, cum ab indignanti veterano petitus lapidibus est, immo in domo sua pæne arsit; tamen a Lepidi militibus subventum est (1).

Nocte quæ fuit a XVI° ad XV^m kal. April., is qui idem fere nomen gerebat, Cinna noster importuno somnio, quod et suis narravit, conturbatus est. Videbatur ad cenam a Cæsare vocatus iturum sese negare; tum vero, vi facta, ab eodem perterritus in vaga loca ac tenebrosa abstrahi. Quibus visis, in febrim incidit, sed, nuntiato Cæsaris corpus efferri, amici officiis omni sui curæ prælatis, in Forum tetendit (2).

Nulla malignior tempestas fuit: jam Cæsare combusto, ejus interfectorum domus a vesana plebe appetebantur. Cum vero familiæ suæ nomine consalutatus esset tribunus, statim comprehensus, neque in defensionibus auditus, adeo laniatus est, ut nulla ejus pars ad busti honores deinde reperiretur (3). Cervicem telo confixam circa Cæsaris rogum circumtulerunt (4).

Nec Senatus, reipublicæ partibus quamvis addictus, ullam de isto sacrilegio conquisitionem fieri jussit (5); cum præsertim homo propter nimia in Cæsarem obsequia invisus ei esse deberet. Parricidæ vero, quid a plebe sibi exspectandum esset satis jam intellecto, Romam deserere properarunt (6). Risu dignum quoddam memorant: C. Cascam tribunum edictum proposuisse ut ab altero Casca secerneretur, eo qui primum ictum Cæsari intulisset (7). Cornelium autem Cinnam maximis a Tullio, facili æstimatore, laudibus ornatum postea reperis (8); nec quicquam de Helvio nostro (9).

---

(1) App., 2, 126.

(2) Plutarch., *Cæs.*, 68, *Brut.*, 20.

(3) Ibid., Suet., *Cæs.*, 52, App., 2, 147, Dio, 44, 50, Val. Max., 9, 9, 1.

(4) Id e Maximo et Suetonio. Hic repulsos ab interfectorum domibus homines in Helvium incidisse ait. Arsere etiam in hoc tumultu L. Bellieni e Patribus ædes (Cic., *Philipp.*, 2, 36.)

(5) Plut., *Brut.*, 21.

(6) Id., ibid.

(7) Dio, 44, 52. Is se custodia munivit.

(8) *Philipp*, 13, 10.

(9) Quamquam de pulsis tribunis loquitur, ib., 15.

Quam cædem, Julianis partibus infamem, Nicolaus quoque tacuit, ac Velleius: Livius vero narrabat (1). Decimi tribuni locum, qui ex ea implendus relinquebatur, Octavianus sibi postea vindicavit, sed improspere; maluitque comitia tollere Antonius quam adulescentem ab iis designari (2).

(1) Nicolaus, 28, Velleius, 2, 59. Narrasse Livium, CXVI, ex Obsequente, 130, vidémus.

(2) Suet., *Octav.*, 8, App., III, 31, Dio, 45, 6.

PARS ALTERA

Cinnæ Scripta.

Ejus scriptorum fere ridicula fragmenta naufragium evasere. Permansisse tamen videntur usque ad quartum saltem Christi sæculum, siquidem tunc ea Servius adhuc legere poterat. A grammaticis octo laudatur : Tranquillo, Gellio, Nonio, Charisio, Servio, Juvenalis scholiasta, Prisciano, Isidoro denique Hispalensi. Quorum plerique tamen eum ex vetustioribus citant ; locupletissimi Charisius et Isidorus ; Priscianus locum jam a Charisio citatum denuo laudat. — De Apuleio isto Maiano melius silere fuerit (1).

Cinna ferme laudatur in artificiorum vocabulis obsoletisve formis, sive suis, sive eorum qui commentarios de ipso ediderunt ; nec plus quam semel in re ad litterarum historiam spectante, itemque semel in re quæ ad artes pertinet. Accidit ut singulare verbum citetur ; quod longissimum est, non ultra versus quatuor procedit. Immo catulliani versus nonnumquam pro cinnanis referri videntur.

Sparsa poëtæ membra primum collegit Stephanus in suis *Fragmentis veterum poetarum latinorum*, a. MDLXIV° prolatis : cura vero et integritas in his desiderantur. Quæ ambo multo majora in Weichertiana editione a. MDCCCXXIII[i] et MDCCCXXX[i], quam copiosissimi, ut scimus, commentarii inlustrant, necnon in recentiori Luciani Muelleri

(1) De quo plane Madvigio adsentiendum puto, nothum declaranti.

(Teubn., in appendice *Catulli* ejus), sed non ut emendationibus locus deficiat. Neque Burmannum omittam, qui amplissimis *Phænomenon Dedicationem* notis in sua Anthologia instruxit (II, ep. 251).

En tibi duodeviginti fragmentorum Nostri tabula, cum indubitatorum, tum ceterorum ; insimul, carminum e quibus fluxerint aut fluxisse videantur (1).

E *Zmyrna*.

Fr. 1. .... tabis.

2. Atque imitata nives lucens legitur crystallus.

?

3. .... strophio lactantes cincta papillas.

4. At scelus incesto Zmurnæ crescebat in alvo.

5. Te matutinus flentem conspexit Eous,
Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.

6. .... Alpinaque cummis.

E *Propemptico Polionis*.

?

1. Lucida confulgent alti carchesia mali.

2. Atque anquina regat stabilem fortissima cursum.

3. « *Ab Actio navigantes* stadia circiter LX veniunt ad isthmum Leucadiensium ; ibi solent, iteris minuendi causa, remulco, quam Græci πάκτωνα dicunt navem traducere. »

4. « Quærunt etiam nonnulli quam ob rem *a Corcura jubeat Action navigare*, quod est e regione traductionis Leucadiensis, *et rursus ab Actio circa insulam moneat ire*, quam a Corcura rectum itiner ad Leucatam. »

5. Nec tam donorum ingenteis mirabere acervos
Innumerabilibus congestos undique sæclis
Jam inde a Belidis natalique urbis ab anno
Cecropis atque alta Tyrii jam ab origine Cadmi...

---

(1) Eorum fontes : *Zmyrnæ*, fr. 1, Charisius, 1, 93 Keil ; 2, sch. Juven. in Sat. 6, 155 ; 3, Isidorus, *Etymol.*, 19, 33 ; 4, Charisius, 1, 81, et Priscianus, 2, 268 ; 5, Servius ad *Georg.*, 1, 288 ; 6, Nonius, 202 M ; — *Propemptici*, fr. 1, Isidorus, *Etymol.*, 19, 2 ; 2, ib., 4 ; 3 et 4, Charisius, 1, 134 ; 5, id., I, 124 ; — *Epigrammatum*, fr. 1, Gellius, 19, 13 ; 2, Suet., *de Ill. Gramm.*, 11 ; 3, Isidorus, *Etym.*, 6, 12 ; 4, Gellius, 9, 12 ; 5, Nonius, 87 ; 6, id., 202 ; — operis de Re Metrica, *Comment. Rufini in metra Terentii*, 6, 565, 3 K.

Ex *Epigrammatis.*

1. At nunc me Genumana per salicta
   Bigis rheda rapit citata nanis...

2. Sæcula permaneat nostri DICTYNNA Catonis !

3. Hæc tibi, Arateis multum vigilata lucernis
   Carmina, quis ignes novimus aërios,
   Levis in aridulo malvæ descripta libello
   Prusiaca vexi munera navicula.

4. .... miseras audet galeare puellas.

5. Somniculosam ut Pœnus aspidem Psyllus.

?

6. Præterea tuscis resoluta crine capillis...

Ex opere *de Re Metrica.*

Fr. 1. « Mensuram esse in fabulis Terentii et Plauti, et ceterorum comicorum et tragicorum, dicunt hi : N..., N..., Cinna... »

ZMYRNA

Ejus fabula. — Quarto ejus fragmento eoque uno, sed accuratissime, quid sibi hoc poëma voluerit, docemur : in incestis Adonidis natalibus totum fuit (1). Quo statim nobis, e classicorum locis, versus Metamorphoseon (lib. X°) in memoriam revocantur, qui Myrrham eamdem appellant (2).

Sed prius, quam laudatissimum Cinnæ opus instaurare conemur, grammaticalis quædam solvenda quæstio est : *Zmyrnamne* legas, an *Smyrnam?* Cur potius alterutrum quam *Myrrham* poëta dederit ?

In primum scribendi modum argumentum apud Herodianum est, duplicem consonantem esse τὸ Ζῆτα (3). Alii vero, etiam simplicem esse contendunt, sicut Ζάκυνθος apud Homerum (4). Sextus quidem Empiricus ait disputationes de hac re inter ætatis suæ litteratos adhuc fieri, cum *Smyrnæ* in *Zmyrnam* mutationem peractam jam fuisse adseveret Lucianus (5). Ejusdem verbi scripturam per Z reperire est apud Catullum, — quod nobis quidem suffecerit, — Ps. Hyginum, Fabium (6). De quibus largissimam Weicherti dissertationem (7) redintegrare nequaquam in animo est. Quod ad *Smyrnæ* seu *Zmyrnæ* pro *Myrrha* formam

---

(1) Vix referenda videntur aliquorum somnia, contendentium Smyrnæ κτίσιν urbis seu Amazonis Smyrnæ fata Helvium cecinisse.

(2) V. 298-502. Cf. Alfierii tragœdiam.

(3) P. 457 Pierson.

(4) De simplici apud Latinos, v. Diomedem, 1, 130, 5 Keil.

(5) Sextus Empir., *Adv. Math.*, 9 ; Lucianus, *Judic. Voc.*, 9.

(6) Catullus, 95, Hyginus, 271, Fabius, 9, 2, et 10, 4. *Zmyrnam* Müller et Benoist edidere.

(7) Cap. 2, § 1, p. 169.

attinet, ionica fuit (1), atque in κοινῇ multo crebrior altera, quæ Æolorum est (2). Μύρρα vero antiquissimum fuit, utpote ab arabico vocabulo *morr*, quod est myrrha, derivatum : quam pronunciationem æolicæ Cypri gentes integram retinuerant (3).

Sed quæ fuit fabulæ sedes ? Diversa de illa tradebantur, cum aliis Arabia sive Persis, aliis Syria, aliis vero Cyprus insula placeret (4). Id secure credideris, iter fecisse personas cum ipsa Phœnicum gente, a qua formatæ essent (5). Earum vestigia extant dubitationum in parum certis Nasonis locorum positionibus, apud quem profecta Cypro fabula Arabas denique petit (6).

Est autem versus in *Zmyrnam* carminis, quo monemur ubi denique gentium Cinna ipse rem collocaverit. Nec plana et æqua fuit hujus restitutio, cum pravis lectionibus præcipuum verbum obscuraretur, donec V. gravissimus Lachmannus illud felicissime expedivit : *Satrachi* (7). Haud ignotus amnis est, a Lycophrone, Nonno, Etymologico Magno laudatus (8). *Aous* etiam seu Orientalis vocabatur, eodem Cypriorum monte erumpens ac Pediæus, cui conjungitur (9). Ei videtur Euripides allusisse in choro quodam *Baccharum*, parum exacta locorum notitia (10). In Adonidis quidem historia vulgo citabatur.

---

(1) Hippocr. fere σμύρνα.

(2) Galenus, in schol. ad eumd., p. 528 ; Athenæus, p. 688 C. Μύρρα Sappho in 2°.

(3) Perrot et Chipiez, *l'Art dans l'antiquité*, 3, 497. — Romani plerumque *myrrham* ; *smurnam* tamen Lucretius, 2, 504, et Marcianus, *Dig.*, 39, 4, 16, 7.

(4) Arabia, *Ciris*, v. 238 ; Persis, sch. Opp. ad *Halieut.*, 3, 403 ; Syria, Panyasis ap. Ps. Apollodor., 3, 14 ; Cyprus, Apollod., ibid.

(5) Herodot., 7, 89 ; Justin., 18, 3 ; Strabo, p. 266. De myrrha arabica, v. Plin. Maj. 12, 33-36 ; Gedrosiæ, Arrian., 7, 22 ; indica, Fulg., 3, 8. Odores vero cyprios plurimos novimus.

(6) Ovid., 10, 296, 307 seqq., 478-80. Apollodorus translatum Adonim in Syros ait.

(7) Ex duabus lectionibus collatis *Satraci* et *Satrahi*. Legerant Muretus *Atracis* alii *Atacis*, Vossius *barathri*.

(8) *Alexandra*, v. 448, *Dionysiac.*, 13, 394 seqq., Phileas in *Etym. M.*, v° Ἀῷος. Ubi quoque lectiones Σέτρεχος, Σέστραχος, Σέραχος, Σάραχος.

(9) Parthenius, ap. Phileam (ibid.), non sine confusione cum Cilicibus. Aoum Pediæo conjungit Kiepertus.

(10) Euripides, *Bacch.*, 406 seqq. — De Satracho et Adonide, v. Nonnum, l. l.

Scripsit autem Catullus : « *Zmyrna* cavas Satrachi penitus mittetur ad undas (1). » Quid inde colligas, jam vides, nec equidem morandum arbitror.

Incestum patrem Thiantem Cinyramve binis nominibus mythographi designant (2). Quorum alter ad Syros, alter ad Cyprios potius, sed ad Syros quoque, refertur (3). Nec fuisse diversos credas, etsi diversis progeniti dicuntur, Belo, Sadoco (4). Cum vero carminis fabula Cypri versetur, Cinyras Zmyrnæ pater sine dubio datus est : neque, in eo, miranda lectione est ut utamur : *incesto Cinyræ.... alvo*, quam apud Priscianum sese invenisse quidam somniaverunt (5).

Paphi vero conditor et patronus idem Cinyras fuit (6) : quo largior fit lux in sede quæ demum electa sit fabulæ.

Zmyrnæ mater, ex Ovidii Hyginique fontibus, Cenchreis (7) ; — quod Cenchreos filia interpretari debet, nomen cum Salaminensibus Teucridis quam maximam adfinitatem habens (8). Neque aliam apud Helvium fuisse verisimilius est, quam Metharmen, ab incesti plane historia alienam, seu Orithyiam Nympham, quæ in Syriacis fabulis memoratur (9).

Latentes puellæ ignes, qua lentissima tabe deperiret [de quibus Ovidium conferas et *Cirin* licet (10)], poëta repræsentarat, ex vocabulo

---

(1) Catullus, *Carm.*, 95, 3.

(2) *Thias* ap. Panyasim, Clitarchum hist., Antoninum Liberalem, Oppianum, Eustathium ad *Iliad.*, 19, 6, ; — *Cinyras* ap. Apollodorum, Theodorum mythog., Theocriti schol. (ad 1, 107), Ovidium, Hyginum. Quo fit ut Adones quoque duos fuisse Tzetzes crediderit (ad Lycophr., 831).

(3) De Syris, eorumdem primi tres, quod ad Thiantem attinet ; quod ad Cinyram, de Syris quoque Strabo, Ps. Lucianus, *de Dea Syria*, Eustath. ad Dionys. Perieg., v. 912, Hyginus, Renanius, *Mission de Phénicie*, p. 291 ; de Cypriis, Lucanum laudari sufficiat, 8, 716.

(4) Belum Antoninus, fab. 34 ; Sadocum Apollod. (Σάνδακος), quem τῷ Συδυκῷ Sanch. licet conferas, item Σαδύκῳ Damascii.

(5) Immo ipse Weichertus, cap. 3, 1.

(6) Tacitus, *Histor.*, 2, 3, Apollod., — quamquam Paphi filius vulgo ferebatur.

(7) Ovid., 10, 435 ; Hyg , fab. 58.

(8) Strabo, 9, 1, 8 ; Tzetz. ad Lycophr., 110 et 451.

(9) Alterum nomen Apollod., alterum Antoninus.

(10) *Metam.*, 10, 337-355 ; *Ciris*, 163 seqq., 181-2.

« tabis » quod solum eorum nobis testimonium remanet. Felici conjectura Burmannus, qui certo etiam *Ciris* loco niti poterat, fragmento altero

Atque imitata nives lucens legitur crystallus,

alludi opinatus est conatibus ut celatum virgo volnus solaretur (1). Nec quidem *Zmyrnam* grammaticus citavit : sed ipse Juvenalis locus quem inlustrat, quo mulierculæ cupidines describuntur (2), necnon metallorum Cypri abundantia, præcipue crystalli (3), de versus collocatione dubitari non sinunt. Quod tamen nimia, ut videtur, timiditate L. Muellerus fecit (4).

Hic adnotare debes versum, de quo agitur, enumerationis cujusdam particulam fuisse, ut et Juvenalis « Grandia tolluntur crystallina, etc. » Nec *ab ipsa Zmyrna* collectam fuisse crystallum poëta intellegit (in quo, Burmannus erravit), verum *ei* jussu parentum collectam. Quid aliud enim *legitur*, nisi *legunt ?*

Quæ cuncta in Ovidiana fabula plane desiderantur. Id vero, quod ambobus verissime commune esse debuit, μνηστεία quædam est, sive Procorum Petitio ; cujus rei, ut nunc primum repertæ, statim argumentum adferam.

Est apud Suetonium (5) scholastici epigramma, sane mediocre, ut fere omnia hujuscemodi, de Crassicii grammatici virtutibus, hominis qui, ut jam de istis loquamur, longe optimos in *Zmyrnam* commentarios confecerat. Sunt ejus verba talia :

Uni Crassicio se credere Zmyrna probavit :
  Desinite, indocti, conjugio hanc petere.
Soli Crassicio se dixit nubere velle,
  Intima cui soli nota sua extiterint (6).

---

(1) Cf. *Cirin*, v. 177 : « Nulla colum novit, carum nec respicit aurum », et rursus, 433-4 : « Non me deliciis commovit regia dives, — Coralio fragili atque electro lacrimoso. »

(2) *Satiræ*, 6, 149-157.

(3) Plinius Major, 37 passim, 9 inprimis ; Perrot et Chipiez, 3, 285.

(4) Ad *poëmata* eum sive *epigrammata* refert.

(5) *De Ill. Gramm.*, 18.

(6) Vidit quidem Turnebus Zmyrnam puellam pro *Zmyrna* carmine usurpatam fuisse (*Adv.*, 17, 17).

Nullum, ut contendo, ferme acumen in totius schemate carminis reperire est, nisi quid mente refingas simile his Ovidii:

> .... Undique lecti
> Te cupiunt proceres, totoque Oriente juventus
> Ad thalami certamen adest : ex omnibus unum
> Elige, Myrrha, tibi, — dum ne sit in omnibus unus (1).

Omnes de Nostra fabulæ (2) in eo conveniunt, ut vetulæ cujusdam ministerio, ipsius Zmyrnæ nutricis (quam Hippolytam Antoninus nuncupat), nefarii amoris tempus paretur. Jam idem *Ciris* poëma, quod a Cinna genetivum *tabis* mutuatur, versum totum ejus de istis sibi inducere potuit ;

> Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens,
> Persequitur miseræ causas exquirere tabis (3).

Eo vero magis movemur, quod aperte a Scyllæ nutrice Carme Cinyreiæ virginis mentio fit.

> Hei mihi ! ne furor ille tuos invaserit artus,
> Ille, *Arabis Myrrhæ quondam qui cepit ocellos*,
> Ut scelere infando, quod nec sinat Adrastea,
> Lædere utrumque uno studeas errore parentem (4) !

Quo dolo cinnana nutrix usa sit, e Theodoro, Nasone, Antonino, etc., suspicari possumus. Rem sibi pater esse credit cum ingenua splendidis parentibus virgine, quam pudor amorem proferre vetet (5). Sed hæc mera suspicio tamen. — Isidoro autem si integra fides adhibenda esset, quod ex ipso Cinna laudavit sub v° *strophium*, sceleratæ noctu paternum thalamum ingredienti vel maxime aptaretur (6):

> .... strophio lactantes cincta papillas.

---

(1) *Metam.*, 10, 325 seqq., 356 seqq.

(2) Id est, Theodori, Ovidii, Hygini, Antonini, Sch. Oppiani.

(3) V. 253-4.

(4) V. 237-40.

(5) Sch. Theocr. tamen : ὡς θεράπαινα.

(6) Cf. *Cirin*, v. 168 seqq., 250 seqq.

Sed est versus absque dubio Catulli (1). Quod vero fieri confusio potuit, id quamdam inter supradictum *Zmyrnæ* locum ac munditias Ariadnæ similitudinem significare credibile est.

At quo tempore pessimus error a Cinyra agnoscebatur? Ut quæ opiner dicam, nullo modo agnitus fuit (2). Versu enim quem Charisius nobis Priscianusque servarunt,

> At scelus incesto Zmurnæ crescebat in alvo,

timores miseræ de appropinquante partu indicari videntur (3). Itaque Hyginus cum *Zmyrnæ* consilio forsan consonat: «.... ex quo concepit, *idque ne palam fieret*, pudore stimulata, in sylvis se abdidit. »

Licet in sylvis ipsis Zmyrnæ pudore et mala conscientia confusæ vestigia persequamur:

> Te matutinus flentem conspexit Eous,
> Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.

Hæ, ut arbitror, lacrimæ prodigiosam puellæ mutationem præsagiebant. Ea vero locum videtur dedisse — quod ad myrrhæ lacrimas attinet — plurimis comparationibus, quarum una remansit:

> .... Alpinaque cummis (4).

Nec minus catullianum hemistichium, *nonam post denique messem*, imitationem redolere videtur talis alicujus, vel similis: «...... nonam post denique lunam, » quod Adonidis natalium tempora designaverit (5); item *Satrachum* illum suas in fabula partes implevisse credimus: verum tellus dehinc progredientibus deficit.

Id firmum remanet, *Cirin* Ovidiumque Nostri admodum institisse vestigiis, sed maxime alteram, siquidem ipsos dicendi Helvii modos

---

(1) Catullus, 64, 65.

(2) Agnoscitur ap. plerosque, necnon et ipsum Hyginum, f. 162.

(3) Cf. cum ferente ventrem arbore ap. Nasonem, 10, 503 : « At male conceptus sub robore creverat infans. »

(4) Cf. Ovid., 10, 500 : « Flet tamen, et tepidæ manant ex arbore guttæ. » De arboreis lacrimis, Cat., 64, 106. De alpina gummi, Plin., 16, 22.

(5) Panyasis (ap. Apollod.) : Δεκαμηνιαίῳ δὲ ὕστερον χρόνῳ...

repræsentat *(multum vigilata*, v. 46; *tabis*, v. 254). Sunt etiam versus duo, quos sane a Callimacho parum detorsit (1), nec minus cum illo *Te matutinus*... vel invitus comparaveris :

> Quem pavidæ alternis fugiunt optantque puellæ,
> — Hesperium fugitant, cupiunt ardescere Eoum.

Forsan erit venia si hoc in transitu jecerimus, tale poëma, quod a Catullianis tot et tanta traxerit, a L. ipso Crassicio procedere potuisse, qui, postquam Pythagoreis nomen dederit, *Cirin* suam — retractatam quidem — dicaverit Messalino (2).

Cujus mentione grammatici adducimur ut in *Zmyrnæ* reliquiis quæramus quæ tandem ea fuerit doctrina qua tantum obnubilata fuisse videatur.

Ejus doctrina. — Jamdudum nivis in crystallo commemoratio candidum illum Weichertum tetigit: enimvero Plinius : « Glaciem esse certum est: unde et nomen Græci dedere (3). » Hoc alterum docti hominis, vel priori evidentius argumentum, eamdem matutinam stellam ac vespertinam observavisse *(Eous.... Hesperus idem)*; quod vero, ut fatemur, et Catullus fecit, sive potius Sappho, quam vertere satis ei fuit:

> Nocte latent fures, quos idem sæpe revertens,
> Hespere, mutato comprendis nomine Eous (4).

Quas stellas populus adhuc (nam Varronem non credas) inter se secernebat, ut ex Varronianis libris comparet (5).

Etiam istud « Alpina cummis » hoc περιηγησέων studium profitetur, in quo nimios fuisse Alexandrinos probe scimus, et, qui iis æmulati sint, Romanos.

Sed hæc, in tanta paucitate eorum, quæ enatavere, fere nulla sunt. An vero de rationibus τοῦ σκοτεινοῦ carminis probabilia conjici possint?

---

(1) V. 352-3; cf. cum Callimacho, *Hecale*, fr. 13 Bentley.

(2) Ex poëmatii initio, et certissima Nostri imitatione. Nec tamen hanc conjecturam magnopere defendam, toto carminis consilio e versibus sex *Georgicon* derivato, editisque *Georgicis* a. demum 725, cum tantummodo adulescens auctor esset (v. 44-5) : quo tempore summa cum laude Crassicius docebat.

(3) *Hist. Nat.*, 37, 9.

(4) Cat., *Hymen.* hexam., str. 7, v. 2-3.

(5) Varro, *de Re Rust.*, 3, 5.

Ut generaliter loquamur, hujusmodi vitium, haudquaquam imprudentia admissum,— velut apud Callimachum, Euphorionem, Lycophronemve, in parum explanatis debuit esse allusionibus, verissimis doctrinæ compendiis. In quibus longe abest ut *Zmyrnam* ullo modo in *Ciri* requiramus, Vergilio medium intervallum obtinente (1). Nec tamen apud ipsum Vergilium locus deest, qui versum præbeat cinnanis ambagibus, ut videtur, proximum (nota de Cinyra quodam haud multo prius agi, et mirari licet):

Crimen amor vestrum, formæque insigne paternæ (2).

Nusquam vero in obsoletis vocabulis Noster reprehensus est; cujus etiam si feminina *crystallus* seu masculinus *alvus* laudantur, id male certo hujus temporis sermoni tribuendum est (3); cum alias eæ inter Ennium et novos poëtas essent inimicitiæ, ut ægre Vetere ex isto vocabula haurire cogitarent, ut olim Euphorio illud χαμαιεῦναι ex Homero (4). — Ita, quoniam τὸ σκοτεινόν suis tandem finibus circumscripsimus (5), quærendum jam nobis est, quæ improvisis adjectivis, implicatis verborum circuitibus materies fuerit.

Potuit esse —de quo cf. *Ciris* exordium, post dedicationem (6) – primum narrationum varietas de incesti modo, seu potius de Adonidis venatoris natalibus. Nam — præter incesti fabulam, ad Byblum Paphumve pertinentem,— Phœnicis filium, Phœnicum nominis auctoris, eum faciebant (7), sive etiam eumdem atque Osirim [ut quidam Ægyptiaci Græci (8)]. Erant qui justis Cinyræ nuptiis cum Pygmalionis

---

(1) V. quam longos ambitus ad interpretandam fabulam Ps. Vergilius adhibeat, v. 54-95.

(2) *Æneid.*, 10, 188, ibique Benoist.

(3) Masc. *alvus* Accii, Catonis (Prisc.), Calvi (Charis.) laudatur. « Partus gravido portabat in alvo, » Calvus. Quem versum cinnanus facile obruit.

(4) Euphorio, fr. 128 Meineke.

(5) Idem ac me Weichertum sensisse gaudeo, cap. 2 § 3. — Licebit hic, quoniam alib non commodum videtur, Lycophronem ipsum laudare in Zmyrnæ fortunis: — ὄψεται δὲ τλήμονος — Μύρρης ἐρυμνὸν ἄστυ, τῆς μογοστόκους — Ὠδῖνας ἐξέλυσε δενδρώδης κλάδος (V. 828 seqq.)

(6) Ubi decem ferme de Scylla fabulæ referuntur ; quædam ex Palæphate, v. 88,

(7) Hesiodus (ap. Apollod., l. 1., et Probum ad *Eclog.*, 10, 18),

(8) Ister, Cornutus, *Epidrome*, 28, Steph. B,

filia conceptum traderent (1). De ipsius quoque nominibus disputabatur, aliis Adonem seu Adonidem, aliis Gingram Cirrhimve, aliis etiam Ao (var. Abobam, Gavantem) juvenem nominantibus (2).

Cum vero suam sibi rationem elegisset — eadem atque Hygino fere fuit (3)— de Cinyra, infinita quidem materie, poëtæ disserendum erat. Is principio κινύρας vim habuit, Orientalium lyræ heptachordæ, soni mœstitia insignis, hebraice *kinnor* (4). Quocirca musicum fingebant, Apollinisque progeniem, ut ne æmulus infelix esset, Marsyæ instar (5). Fuit quoque e Cabiris sive e Telchinibus (6), necnon artium ac metallorum repertor (7), utpote Phœnicia oriundus, a qua omnia profecta. Idem Veneris amator (8) et sacerdos, ejusque sacrarii Paphi conditor (9) : ibi quidem sepultum ferebant (10) ; ipsaque, qua *Zmyrna* edita fuit, ætate, Cinyradæ sacerdotes deam consulentibus adhuc responsa dabant (11).

Nec minorem Paphos materiem præbuit ejusque fanum, Venere in candidi effigiem coni formata, immo area quæ hostias ab imbribus intactas servabat. Adde sacra adulteria, innumeros columbarum sub porticibus gemitus, Cypridisque fabulam maris fluctibus in Paphi promontorium delatæ (12). Annon isto sodalis carmine lecto Catullus exclamaverit :

---

(1) Apollod. ; nec fontem nominat.

(2) V. Hesychium, Lycophronem v. 831, Pollucem, 4, 10, *Etym. Mag.*

(3) In sola Cinyræ stirpe quidem discrepant.

(4) De quo v. *Macchab.*, 1, 4, 54. Apud aliquos Byz., κιννύρα, quod rectius. Ceterum gæce κινύρομαι dedit.

(5) Hesych. et Suidas.

(6) De Cabiris, v. Sanch. frag., et cf. cum Damascio, qui in eorum octavo Cinyræ et Adonidis personas miscet. De Telchinibus Cypriis, Strabo, 558, et Pausanias, 9, 9, 1. Eosdem ac Cabiros fuisse, Strabo, 400.

(7) Plinius, 7, 57, ibidemque de Thoante (Thiante). V. quoque Eustath., ad *Iliad.*, 11, 20.

(8) Clemens Alex., *Protrept.*, 29 Potter.

(9) Pindarus, *Pyth.*, 2, 26 ; Arnob., *Adv. Gentes*, 4, 25 et 5, 19.

(10) Clemens, l. l., Arnob., 6, 4.

(11) Tacit., *Hist.*, 2, 3. V. alicujus eorum dedicationem (Ross, Inscr. cypr., p. 521, n. 16). Ipse Cinyras vates fuisse ferebatur (Clemens, 1, 21).

(12) De quibus v. Tacit., l. l., et Maxim. Tyr., *Diss.*, 8, 8, Plin., 2, 97 ; item Paphi numos, Creuzer, 4, n. 204-6, Perrot et Chipiez, 3, 265-71, Hesiod., *Theog.*, 188-200.

Nunc, o cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium Uriosque portus...
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos (1)!...

Quod vero Cinyram Helvius induxerit omnibus modis filiam adlevare conantem, ea illius opulentiæ describendæ ratio erat (2). Quæ jampridem (nempe ab ipsa ætate Tyrtæi) verterat in proverbium (3). Immo multa de ejus mollitia tradebantur, quæ haud insulse in *Vera Historia* amplificata reperis (4), quibusque ad illum unum ea referebantur luxuriæ exempla quibus Cyprii nobiles in universum infames erant, ut e Solensis Clearchi *Gargithio* apparet (5).

Locus autem de Procis diversi doctrinam generis prætendebat, cum quæcumque de Græcorum Cyprum migrationibus novisset poëta, exaggerare ei liceret : Teucri videlicet, Agapenoris, Acamantis, Cephidis et Praxandri (6) ; quid, si Teucer ipsius Cenchreidis nepos fuerit (7) — ibique de Salaminio serpente, quem Cenchreus educaverat, dicendum fuit (8) ? Etiam, e Cyclicis, nonnihil inter Cinyram Atridasque videtur interfuisse (9).

Denique fieri poterat ut in mythorum interpretatione versaretur, atque, pro hujus acumine temporis, a Solis phænomenis, ut ferme Stoïci, totam derivaret fabulam (10). Non valde quidem aliter *Cirin* quicumque composuit (11). Is vero et Dearum iram in causis ponit ; quod Cinnam quoque fecisse credas (12).

---

(1) Catullus, 36, 11-14 ; cf. 64, 96.

(2) De Cypri opibus v., citra quæ notata sunt, Ammian., 14, 8, Strab., 14, 6, 5, Plutarch., *Cat. Min.*, 38.

(3) Tyrtæus, fr. 12, v. 6 (quem expressit Plato *Legg.*, 660 E), Pind., *Nem.*, 8, 30.

(4) *Ver. Hist.*, 2, 25-31 ; cf. eumd., *Rhetor. Didasc.*, 11 ; de ejus filiabus Apollod.

(5) Ap. Athenæ., 255 B seqq. Cf. Cic. ad Attic., 6, 2. Multa præterea de Cinyra tradebantur, quæ evolvere non licet. V. tantummodo Pind., *Pyth.*, 2, 26.

(6) V. Pausan., 8, 15, 7, Strab., 14, 6, Steph. Byz.

(7) Diod., 9, 190, Apollod., 3, 11, 6. V. quæ de suis atavis Evagoras prædicaret, Paus., 1, 3.

(8) Hes. ap. Steph. Byz., Strabo, 393, etc.

(9) Homerus, *Iliad.*, 11, 19-23, ibique Eustath.; Theop., 12, fr. 111 ; Strabo, 1, 2, 32.

(10) Macrob., *Saturn.*, 1, 21, Fulg., *Myth.*, 3, 8. Cf. Decharme, p. 200.

(11) V. inprimis v. 68-9.

(12) V. 83-88. Iram Veneris plurimi ; negat Ovidius, idemque alibi (v. 524) adseverat. V. quæ de Venere Apostrophia Pausanias narret, 9, 17, 4.

Neque his singulis fontes deficiebant : nempe *Cypriacorum* auctores decem novimus, e quibus fuit qui *de Cypro et Phœnice* scripserit (1). Est grandis in *Alexandra* locus, ubi de Græcis cypriarum urbium conditoribus copiose tractatur ; cujus initium subest :

Οἱ πέντε δὲ Σφήκειαν εἰς Κεραστίαν
Καὶ Σάτραχον βλώξαντες Ὑλάτου τε γῆν,
Μόρφῳ παροικήσουσι τὴν Ζηρυνθίαν... (2)

Sed largissime hauriri debuit e Cyprio Xenophonte, Κυπριακῶν ἐρωτικῶν scriptore, qui multus in cinyreis fabulis fuerat (3).

Proinde id mihi videtur diuturni Helvii laboris causa fuisse, non quod sibi vix placere soleret, sed magis quod tantam doctrinam tam parvo contineri spatio reipsa difficillimum esset. Nec minus oportebat tot ambagibus versus dulcedinem canoremque minime conturbari, quæ vel maximæ cinnani ingenii laudes fuere (4). Ita falso Callimacho artifici comparatus est, qui nimia cura venustatem in *saltantibus Lacœnis* obruerat (5). Immo ea, quæ Nostri fragmenta extant, adfectus numerique similitudinem ostendunt : quales lenitas fragilitasque in crystallo (6), tarda quædam et velut perterrita gravitas in alvo Zmyrnæ, in ejusque lacrimis describendis mœror et miseratio. Cujus loci — extremum dico — meminerit Horatius, Valgium solans Mystæ funere percussum, necnon Maro Orphea in luctu Eurydices inducens (7).

Ejus fata. — Nam diuturna carminis memoria fuit. Id vero vix enatum opus juvisse videtur, quod in eodem tempore ac cypriaca Catonis missio cadebat. Eo missus, ut scimus, P. Clodio auctore, ne ejus in Ciceronem inceptis obstare posset, insulæ regulo pro erepto imperio sacerdotium Paphi obtulit ; ille vero, imminentis procellæ

---

(1) V. Didot, *Fr. Historic. Græc.* (tab.).

(2) V. 447-591.

(3) Eumdem VVis doctissimis Croisetiis placet ad posteriora tempora referre, nescio qua ratione inductis.

(4) Cf. Valgii de Codro elegos, item quæ infra dicentur de *Anathematis* ac *Dedicatione*.

(5) Plinium adfert Weichertus, 2, 2. Cui loco (34, 8) cf. 35, 36.

(6) Singulare τῶν σπονδαϊκῶν Nostri exemplar. Citat L. Müller, *de Re Metrica*, p. 153.

(7) Hor., *Carm.*, 2, 9, v. 10-12 ; Verg., *Georg.*, 4, 465.

haudquaquam nescius, regiam gazam in profundo mergere cavatis navibus cogitaverat ; tunc vero sese ipse interemit amissi pudore regni. Thesauros Cato Romam incorruptissima fide retulit. Hic veterum Cypri annalium exitus fuit : Cinyræ opes, mente tantum in *Zmyrna* conceptas, viderunt tractaveruntque (1).

Quicquid fuit, ætatis jam proximæ scholastici vigilias *Zmyrnæ* suas impendebant ; nec defuit ex his, qui tali ratione laudem summam adipisceretur. Suetonium audiamus (2) :

« L. Crassicius, genere Tarentinus, ordinis libertinus, cognomine Pasicles, mox Pansam se transnominavit. Hic initio circa scenam versatus est, dum mimographos adjuvat... »

Feliciter fit ut inter quos versaretur Crassicius anno DCCXI°, e Cicerone notum nobis sit : « Addite Antonii collusores et sodales, Eutrapelum, Melam, Cælium, Pontium, *Crassicium*, Tironem, Mustelam, Petissium. — Comitatum relinquo, duces nomino (3). » Eum Nostrum vere fuisse, firmat Nuculæ mimographi plus quam semel inter consularis amicos mentio, ex qua septemvirum agrorum dividundorum ab Antonio creatum eum videmus. Gravissimus locus hicce est : « (Nucula et Lento) quorum *alter commentatus est mimos*, alter egit tragœdiam (4). »

Rursus Tranquillus : « Deinde in pergula docuit, donec commentario *Zmyrnæ* edito adeo inclaruit, ut hæc de eo scriberentur : *Uni Crassicio*, etc. Sed, cum edoceret jam multos ac nobiles, in his Julum Antonium, triumviri filium, ut Verrio quoque Flacco compararetur, dimissa repente schola, transiit ad Q. Sextii philosophi sectam. »

Hæc historicus. De annorum ratione pauca dicamus. Cum Julus ejus magisterio *uti non desiisset* cum ipse a grammatica recessit, anno circiter DCCXXV° recessisse Crassicium probabile est. Commentarium paucis ante annis conscriptum credas (anno circiter DCCXX°).

Epigrammate supra relato id edocemur — quod momenti non mediocris est — ipsi Crassicio fuisse antecessores (5). Quod jam suspicari poteras ex notis *Mœridis* versibus : « Nam neque adhuc Vario, etc. »

---

(1) Val. Max., 9, 4, ext. ; Plut., *Cato Minor*, 34-39. Cf. Dion., 39, 22-3.

(2) *De Ill. Gramm.*, 18.

(3) Cicero, *Philippic.*, 13, 2.

(4) Ib., 11, 6. Alii de Nucula loci, 6, 5 ; 8, 9 ; 12, 8. Alter eorumdem temporum mimographus, Philonides, ap. Crinagoram (*Anth. Pal.*, 9, 542).

(5) « Uni Crassicio, Soli Crassicio, Intima cui soli, Desinite, indocti... »

Zmyrnam deinceps numquam editam reor sine utilissimis hujusce commentariis. Ceterum Crassicii nihil remanet, nisi pauca forsan excipias de *defectibus in temporibus verborum* (1).

Verissimam cinnani operis imitationem fuisse *Cirin* jam contendimus (2) ; itemque Ovidium, forsan feliciter, ejusdem æmulationem in decimo *Metamorphoseon* tentasse, — cum illud Helvii *Te matutinus*... in quinto (ubi de Cereris erroribus) reperiri possit :

> Illam non veniens udis Aurora capillis
> Cessantem vidit, non Hesperus... (3).

Utrum ob Vergilii Variique familiaritatem Cinnæ nomen ab illo notissimo Flacci Catullianorum contemptu servatum fuit ? An revera, etsi brevitas nimia sæpius in Cinna obscuritatem genuerat (*Brevis esse laboro, — Obscurus fio*), intestinæ fuit benivolentiæ erga virum cujus primum in Romanis litteris insigne liturarum exemplar prodiisset ? Etenim illo suo *Nonumque prematur in annum*, Helvii diligentiam ac laborem præceptorum habuit loco : quid vero majus ab eo Catulliani impetrare possent ?

Κακοζήλους Augustus et antiquarios perinde fastidiit (4). Tiberio vero regente, cujus Euphorionea studia et Parthenica plurimos in amborum opera commentarios provocavere, *Zmyrnam* etiam viguisse credibile est (5), nec minus sub Nerone, adjuvante illo Alexandrino furore a quo nec ipse integer remansit (6). Et est hujus *Te matutinus*... imago in duobus *Thyestæ* versibus :

> Quem dies vidit veniens superbum
> Hunc dies vidit fugiens cadentem (7) ;

nec deest in *Litteris ad Lucilium* locus insignis quo « ponderosi » Tanusii *Annales* cum « parvis » Cinnæ « monumentis » rursus, quamquam ἀλληγορικῶς, in comparationem facetissimam adducuntur (8).

---

(1) Consentius, 5, 378 Keil. (De Pansa quodam agitur).

(2) Quamquam Parthenii *Metamorphosibus* aliquid forsan debuit (de *Scylla* Parthenii v. fr. 16, 17 Meineke).

(3) V. 441-2.

(4) Suet., *Oct.*, 89.

(5) Id., *Tiber.*, 70.

(6) Id., *Neron.*, 52 ; Martial., 8, 70 ; cf. quos ejus laudat Persius versus, 1, 93 seqq.

(7) *Thyest.*, 613-4.

(8) *Epist.*, 93, 9.

Helvii curam non aperte Fabius criminatus est, — neque enim id ejus provinciæ fuit, — sed, ut generaliter loquatur, operis adeo castigati vim imminui putat (1). Idem ridet aliquos quibus « grata sunt hæc quæ cum intellexerint, acumine suo delectantur, quique gaudeant non quasi audiverint sed quasi invenerint (2). » Suos ergo in scholis fautores *Zmyrna* tunc quoque servabat, qui vix sani Martiali habentur, venusto homini scilicet et parabilem Venerem amanti :

Scribere te quæ vix intellegat ipse Modestus
  Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte, juvat ?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline, libris ;
  Judice te, major Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur : sane mea carmina, Sexte,
  Grammaticis placeant, et sine grammaticis (3).

Ubi animadvertas licet fuisse sub Flaviis ipsius Helvii æmulatores. Antoninorum ætas — ut *Catacrianos* istos Hadriani libros omittam (4) — obliquo testimonio tunc etiam floruisse Nostrum declarat, siquidem *Zmyrna* a Tranquillo nominatur, præterito ejus auctore (5).

Cujus imitatio in poëmatio *de Rosis* quoque agnoscitur :

Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
  Hanc rediens sero vespere vidit anum (6).

Duravit ad quartum sæculum, a Servio laudata, nam ipsos grammaticos deinceps legisse, nulla fides. Sexies autem citata fuit : in quibus bis sine operis titulo, bis ad eumdem locum. Sed quid ista mentionum paucitas, nisi exactæ fere latinitatis indicium ?

---

(1) *Instit. Orat.*, 10, 4, 4.

(2) Ib., 8, 2, 12.

(3) *Epigr.*, 10, 21 ; cf. 10, 4.

(4) Spartianus, *Hadrian.*, 15 : « Libros obscurissimos, Antimachum imitando.... »

(5) « Commentario *Zmyrnæ* edito... »

(6) Ps. Ausonius, *Idyll.*, 14, 45-6. Ceterum cf. Callimachi epig. 20 : Ἠῷοι Μελάνιππον ἐθάπτομεν, ἠελίου δὲ — Δυομένου Βασιλὼ κάτθανε παρθενική... Haud ita raram apud Græcos antithesim Cinna quidem apud Latinos vulgavit.

PROPEMPTICUM POLIONIS

Sic libentissime *Propempticum* istud definiam, ex fragmentorum ejus natura notaque ejus scriptoris indole : descriptionem locorum fabularumque seriem, quorum vinculum idem fuerit ac stationum ipsius itineris. Doctum opus fuisse non dubitandum : quod nisi esset, cur umquam in illud commentarios condidisset Hyginus? Immo, si hariolari licet, Asinio scriptum videtur sicut τὰ Ἐρωτικά Παθήματα Cornelio Gallo : scilicet, ut optimi juvenem ingenii ad poëticas res cieret ; neque hic omittendum, Cypriam Venerem ab ipso celebratam versibus (1). Est etiam major inter Parthenium Cinnamque adfinitas, quandoquidem Græcus homo et ipse Προπεμπτικόν, Appio forsan, composuit, Stephano Byzantino teste (2). De quo opere aliqua disserenda videntur, quo magis latini naturam carminis concipiamus.

Vocabulum unum, Κώρυκος, quæ Cilicum urbs fuit, ad græcum opus refertur ; ex quo hoc aliud eidem tribuendum arbitror : « (Ἀῷος) Κωρυκίων σεύμενος ἐξ ὀρέων (3). » Quin etiam longius fragmentum incertæ sedis, propter res in quibus versatur, *Propemptici* fuisse sese demonstrat. De Glaphyrarum fonte in agro Tarsensi ejusque origine agitur : fuerat, ut Parthenius audivit, olim virgo regia :

Παρθένος ἡ Κιλίκων εἶχεν ἀνακτορίην·
Ἀρχίγαμος δ' ἔπελεν, καθαρῷ δ' ἐπεμαίνετο Κύδνῳ,
Κύπριδος ἐξ ἀδύτων πυρσὸν ἀμειψαμένη·
(Versus duo desiderantur)
Εἰσόκε μιν Κύπρις πηγὴν θέτο, μῖξε δ' ἔρωτι
Κύδνου καὶ νύμφης ὑδατόεντα γάμον (4).

(1) Polio ap. Charisium *(Veneris antistita Cupra)*.

(2) V° Κώρυκος. De Appio cogitavi propter ejus apud Cilicas præturam (v. Cicer., *Litteras)*, et grammaticalia Appiorum studia, siquidem eos peregre Philologus comitatus est (Suet., *de Ill. Gr.*, 5).

(3) Fr. 26 Meineke.

(4) Fr. 24.

Nonne hæc ad nostram cinnani definitionem poëmatis tibi omnino pertinere videantur?

Fr. 1, 2. — De consilio ac tempestate Asiniani itineris satis supra disputavimus. Carmen vero, quod ei amicus dicavit, a votis, ut res ipsa fert, incepit, immo forsan soluturæ descriptione navis :

Lucida confulgent alti carchesia mali.....
Atque anquina regat stabilem fortissima cursum !

Quorum versuum priorem non nisi dubitanter tradere ausim ; quem ut Cinnæ Isidorus tribuit, ita Catullo Nonius et Lucani scholiastes, paucis verbis mutatis (1). Feliciter vero Muretus post *Thetidis* v. 235 collocavit (2). Attamen Cinnæ servari posse arbitror, cum, ut alia mutuatorum inter Catullianos versuum exempla neglegam (3), hic inprimis (quod ad extremam ejus partem attinet) *communis* sit versus, velut sæpenumero apud Græcos epicos.

Lucilius :

.... hic mali superat carchesia summa (4).

Lucanus :

Ille utinam summi curvet carchesia mali (5) !

ubi nota, hunc Lucanianum ad Adriatici trajectum referri, quod cinnanam potius imitationem, quam valerianam, arguat. Quod ad ipsas pertinet res, comparari Vergilium licet :

.... Auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro (6).

Carchesiorum autem et anquinæ mentione adducimur ut de nauticis Helvii vocabulis disseramus. In quibus, ex *Itinere* Lucilii multa

---

(1) « Lucida qua splendent, Lucida cum fulgent summi, etc. »

(2) In Ægei verbis ad filium. Ita vero sex versuum fiat phrasis, cujus sane tarditatem reprehendas. — In Catullianis Weichertus non recipit.

(3) De Vergilianis furtis, v. Servium ad *Ecl.*, VI, VIII, X (Calvum, Varium, Gallum, immo ignobilem Ninnium furatus esset).

(4) *Iter ad fretum Siculum*, Sat. III, fr. 14 Corpet.

(5) *Pharsalia*, 5, 428.

(6) *Æneid.*, 3, 356-7.

traxisse videtur, hujuscemodi quippe sermonibus instructissimo : *anquira, carchesia, cataprorata, metaxa, rodus, uncus (1)*. De carchesiis, quæ a Nonio definiuntur « foramina quæ summo malo funes recipiunt », melius hic dici potest « summos malos » ab Helvio intellegi. Vide Asclepiadis Myrleani de his rebus disputationem (2).

Anquina verbum Nonius cum optima definitione tum exemplo pravissimo consequitur. Est quidem anquina sive anguina (e rad. *ango*) nodus quo antenna malo constringitur; quæ definitio cum cinnano versu bene consonat. Contra, Gesnero duce (3), non anquinam, verum *anquiram*, quod est anchoram (gr. ἀγκύρα), in istis Lucilii intellegas :

Armamenta tamen, malum, vela omnia servo :
Funis enim præcisa cito atque anquira soluta,

ubi *anquinam solvere* significatione careret, cum de abeunte navi agatur, atque armamentis omnibus uti poëta cogitet. — Recte Weichertus frº 2 versum 235 *Thetidis* contulit : « Candidaque intorti sustollant vela rudentes », qui Muretianum antecedit : « Lucida qua splendent, etc. » Tamen, si amborum cognatione nihil evidentius, magis generalibus usum esse Catullum vocabulis, majestatemque sermonis magis curasse animadvertas.

Fr. 3, 4. — Brundusio profectam navim admodum probabile est, non ampliori quam novem horarum navigationis intervallo inde usque Corcyram (4), quæ prima statio iter in Græciam facientibus. Exin maxime properantes in Leucadiensium fossam recta tendebant (5); verum otiosus fuisse Asinius videtur, atque ultro in itinere moratus. Actii quidem appellebat, in Ambracii sinus introïtu ; tum Leucadiam circumibat (6). Erat de his quæstio, Hygini tentata commentariis, quam et nosmet, documentis licet freti paucioribus, expedire conabimur.

---

(1) Lucil., III, fr. 10, 14, 11.

(2) Ap. Athenæ., 11, p. 454 F, et Macrob., *Sat.*, 5, 21. — Nonius, p. 546, M.

(3) Weich., 3, 2.

(4) Livius, 45, 41.

(5) Jul. Hyg., *Comm. in Prop. Pol.* (ap. Char.)

(6) Quæ ita repræsentari licet : « Phæacia litora linquens, — Protinus Actiacas flectatur puppis ad oras... Tum Leucateas, age, circumlabere rupes. »

Plurima veterum loca de Leucadia exsistunt (1); quorum copiosissimo docemur brevia CXX passus in latitudinem, D in longitudinem habentia (sive XCIV m. ac DCC), insulam a continenti diremisse (2). Eas fauces Corinthii coloni aperuerant fossa ægre servata, limum ingerentibus procellis (3). Διωρυκτὸν homines nuncupabant (4); ponte ripæ jungebantur (5). Eo quidem majores naves non introïbant, sed tantum naviculæ virgis intertextis formatæ (πάκτωνες), quas remulco trahebant (6). His ita dispositis, neque ullas naves nisi actuarias Leucade portu habente ad Patrensem navigationem, ii quibus dignitatem tueri suam intererat (finge prætores suas provincias petentes), insulam triremi circumibant, vel, si nausea laboraturi, pedibus viam persequebantur (7).

Nunc, si Polionem quemdam e principibus viris comitatum credas, aut sua saltem spectavisse commoda — quæ majora sane in triremi quam in phaselo futura essent, — satis validas cinnani itinerarii causas habeas, cum singula hæc somniasse Helvium nequaquam verisimile sit, siquidem non alia, ut opinor, ipsi Helvio in Bithyniam via fuit.

Fr. 5. — Rursus cum *Propemptico* congressio tibi fit Delphis, ut videtur, in oppido sacro, placidis Crisæi sinus undis navim sustentantibus. Ubi artium ille amator, ille Praxitelis et Scopæ operibus suum postea Libertatis Atrium decoraturus (8), ea recenset, quæ Græca pietas numinibus patriis dicaverat. Neque ita multa fuerunt, cum jam anno DL° circiter U. C., præter ea, quæ Polemon et Alcetas scripsere, alter *de Thesauris*, hic *de Anathematis Delphicis* (9), ejusdem civis regionis Alexandrides opus *de Anathematis* suæ civitati *ademptis* composuisset (10). Nuperrime etiam, hoc est anno DCLXVIII°, Sullani canes Apol-

---

(1) Ap. Thucydidem, Livium, Strabonem, Plinium.

(2) Liv., 33, 17.

(3) Strabo, 1,3; Plinius Maj., 4, 2.

(4) Plin., ibid.

(5) Strabo, 10, 2.

(6) Jul. Hygin., op. cit. De hujusmodi in Nilo navigiis, v. Strab., 17, 1, 50.

(7) Cicero ad Attic., 5, 9 (a. 703).

(8) Plinius, 36, 4.

(9) Polemo Iliensis (Plut., *Q. Conviv*, 5, 2), Alcetas ap. Ath., 13, 591 B.

(10) Ap. Zenobium, 1, 57.

linem inviserant (1). Neque tamen, ut pretiosæ res materiæ ablatæ erant, sic quoque æris opificia marmorisve integra non remanebant, adeo ut, quæ tot post annis Pausanias descripturus esset, ea adhuc stupeamus (2). Sed confitendum, nullum ex iis, quæ remanerent, anathematis, fabulosis assignari temporibus posse. Id libenter crediderim, *Danaum* ab Argivis ex Œnoea præda dicatum, *Cecropem* ab Atheniensibus de Marathonia, pro antiquissimis poëtam simulacris habuisse (3).

CONJECTURÆ. — An vero longius Polionem prosequamur? Hæc quidem Propertius, cum a Cynthia iracundus secedit :

Deinde per Ionium vectus cum fessa Lechæo
Sedarit placida vela phaselus aqua,
Quod superest, sufferte pedem, properate laborem,
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde, ubi Piræi capient me litora portus,
Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.
Illic aut studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis ;
Prosequar aut studium linguæ, Demosthenis arma,
Libaboque tuos, scite Menandre, sales ;
Aut certe tabulæ capient mea lumina pictæ,
Sive ebore exactæ, seu magis ære, manus . . . . . . (4)

Sunt vero in *Ciri*, necnon in celeberrima Ser. Sulpicii *Consolatione*, sinus Saronici imagines duæ, quarum altera roscidam quodammodo auroram redolet (5), altera sententiarum gravitate mœret (6). Quod ad adfectus Athenas ingredientium attinet, ii, ut Propertii elegos omittamus, in quodam Hegesiæ loco sic describuntur :

« Acropolim video, et ingentis imagine Tridentis terreor; Eleusim video, et ejus particeps sacrorum fio : hic Leocorium, ibi Theseum :

(1) Plut., *Sulla*, 16. De paupertate Delphorum, v. Strab., 9, 3, 8.

(2) Pausanias, 10, 9-19. Cf. Plin., 34, 17.

(3) Paus., 10, 10. — Tota Helvii sententia hæc videtur fuisse : « Pythiam audies, seu Castalios fontes adspicies, nec tam donorum... » Cf. *Eclog.*, 6, 27 seqq., *Æneid.*, 6, 794 seqq.

(4) Propert., 4, 21, v. 19-30. V. quoque *Itiner. Anton.*

(5) *Ciris*, v. 101-105, item 463-9.

(6) Ser. Sulp. ad Cic., *Fam.*, 4, 5.

omnia per singula nequeo persequi. Est quidem Attica terra Deorum qui ejus solum occupaverunt; ad heroas atavos pertinet (1). »

Sed in toto itinere fabulis poëta retineri potuit sexcentis, quæ cum atheniensibus facile contenderent ; quales Phæacum apud Corcyram, ludorum lacedæmoniorum apud Actium (2), Leucatæ saltus, Alcmæonis parricidii (3), Parnassenses historiæ (4), Isthmicorum institutio (5). Nonne sic totus de Anathematis locus hisce antiquis redundat imaginibus, ut — quod jam observavimus — rerum ipsam fidem corrumpant?

Antimachi rationibus æmulatus Noster in opere isto videtur, siquidem vel in *Lyde* sua, elegiaci generis, a geographia mythisque nequaquam abhorruerat (6). Sed fuit quidem his, ut fateberis, locus in *Propemptico*. Multa sunt apud Homerum, Æschylum, Lycophronem, Vergilium, quæ hujusmodi Itinerariis conferri possint, sed de vaticiniis plerumque agitur.

STILUS. — *Propemptici* sermo necnon ars versificandi longe melius quam in priori poëmate sese perpendi sinunt. Artificiorum vocabula quædam supra notavimus, quæ sane non jam apparent, cum sublimiores sensus aperiuntur, ut in Anathematum loco. Is vero, etsi planæ constare prosæ quibusdam visus est (7), maxima dignitate, gravitate, nobis quidem videtur, cum ex verborum, quæ usurpantur, colore, tum propter totius decursum sententiæ, quæ nec fulcimenta desiderat, et quatuor versuum ambitum comprehendit.

Quodsi ad humiliora descenderis, onomatopœiam *atque anquina* licet animadvertas, qua nodi conatus exprimitur. Quod Lucilius *atque anquira* dixit, id incompti fuit scriptoris : Cinna nihil imprudens admittit ; jam hoc *lucens legitur* vidimus, qua allitteratione fragilem rem ac

---

(1) Ap. Strab., 9, 1, 16. Cf. Cic. ad Att., 5, 10.

(2) Strab., 7, 7.

(3) Ob Echinadas insulas, ubi demum constiterat.

(4) A fabulis homericis ad Gallorum minas.

(5) Ubi de Melicerta fabulæ occurrebant.

(6) Hermesianax, v. 41, seqq. (Ath., 13, 598).

(7) Bernhardy, n. 362.

liquidam effingere nisus est. Grande verbum *innumerabilibus* a Scævola quoque usurpatum ad *Marii* æternitatem repræsentandam (1), altero *Anathematum* v. invenitur [cf. Lucretii *numero magis innumerali* (2)], magnitudinis sane sensum injiciens, sed parvo emptum, quique nimis antiquitatem referat. Denique synonymorum conglobatio, apud Cinnæ æquales haud rara, bis notari possit : *lucida confulgent*, *stabilem fortissima*.

Alia sunt, quæ de ipsis versibus dicam : elisiones plurimæ (septem, versibus quatuor), verum sui consciæ, sin aliter opportunissimæ. Earum prima, quarti fit pedis cæsura, qualis nulla apud Catullum (3), — quæ cum altera facit ad cujusdam imaginem aggerationis. Ceteræ sententiam, ut in epistula, fluentem reddunt : nihil enim aliud *Propempticum* revera fuit. Spondaïcus versus nullus est, sed tantum verbis pondus inest,ut eos abesse minime queraris. Proinde et magnificentiam in hisce Anathematis et facilitatem reperias.

FATA. — Fuisse præter istud *Propempticum* alia quoque hexametrica extra *Zmyrnam* poëmata, non equidem possim adseverare ; verum, ut ad hujus veteris Vignyi honestam sterilitatem attendam, ægre arbitrer. Et ipsum videtur *Propempticum* eam infaustam subiisse fortunam operis quod singularis poëma felicitatis consecutum sit. Commentariis quidem ab Hygino inlustratum fuit : verum id nonne *Zmyrnæ* auctori datum est ? Ceterum, quod et librum et ejus commentarios novimus, omnis gratia Julio Romano debetur (4).

Nunc pauca de istis : in geographicis versati videntur, nec tamen admodum fideles fuisse — scilicet in intervallorum æstimatione. Quod LX stadiorum esse dixerunt (ab Actio ad Leucatam), CCXL Strabo conscripsit. Sed corrumpi chartæ potuere (5).

Propemptici æmulationes omnino nullas reperio, nam isti *Sic te Diva* nihil cum illo. Vix Epiri situs in Æneæ Erroribus ex Itinere

---

(1) Cicero, *De Legibus*, 1, 1 : « Canescet sæclis innumerabilibus. »

(2) *De Nat. Rer.*, 2, 1086 ; cf. 5, 275 : « Innumerabiliter... ».

(3) L. Müller, in præf. Catulli,p.66 ; id., *de Re Metrica*, 222. Sed tales apud Vergilium Lucretiumque invenias.

(4) Cujus de Analogia caput Charisius totum in sua transtulit. Vixit Romanus a. C. 200.

(5) Strabo, 10, 2 ; contra, *It. Anton.* CLX stadia (20 millia) ; C apud Hyginum forsan excidit.

Polionis desumpti sunt (1). Verum in Horatiano ad Munatium Plancum carmine depugnatum, ut videtur, fuit pro patrio cælo adversus græcanica studia *Propemptici* (2) ; quod tum viguisse fatendum est, immo quæstionibus suis jam ante Hyginum scholasticos exercuisse (3).

EPIGRAMMATA

Quodsi in ita multiformi poëseos genere quatuor species distinxeris, nempe, primo, soliloquium quo adfectus promimus nostros (quale *Miser Catulle...*, sive *Pæne insularum...)*, deinde amantis adlocutionem *(Vivamus, mea Lesbia...)*, ad amicum epistulam *(Hesterno, Licini...)*, denique iambum *(Adeste hendecasyllabi...)* : eæ cunctæ in servatis Cinnæ reliquiis inveniri posse videntur, si alteram excipias.

1. Amatoria. — De Cinna ut amatore, ea tamen novimus, procacissimum fuisse — quod illi cum æqualibus Eroticis commune fuit, — atque, ut Memmii dura, ejus carmina illepida extitisse (4). De procacitatibus Naso, de mediocritate Antoniniani ævi Græci testantur. — Naso :

Quid referam Ticidæ, quid Memmi carmen ? apud quos
    Rebus adest nomen nominibusque pudor.
Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser,
    Et leve Cornifici parque Catonis opus (5).

Græculi vero : « Nam Lævius implicata, et Hortensius invenusta, et Cinna illepida, et Memmius dura, ac deinceps omnes rudia fecerunt atque absona. » Neque tantam sive his, sive illi auctoritatem tribuas : omnino tamen neglegendos non puto. Reminiscendum enim est, solos

(1) V. 274-283, 291-3.

(2) *Carmin.*, 1, 7 ; cf. *Epist.*, 1, 11, ad Bullatium, tum vero Propert., 3, 22, ad Tullum.

(3) Jul. Hyg. : « Quærunt etiam *nonnulli...* »

(4) A. Gellius, 19, 9.

(5) *Trist.*, 2, 433 seqq.

sequenti tempore Eroticos Calvum, Catullum, Gallum, usu cotidiano tritos fuisse (1). — Quicquid fuit, Helvium in iis cum Lesbiæ cantore non posse conferri dolebis.

In quantum de talibus conjectari licet, suam Cinnæ infirmitatem ipsa protervitas induxit. Fieri potest ut Venus vulgaris aliqua suscitet, qualia *Amabo, mea dulcis Ipsithilla* (2), seu εἰς Φλώραν Philodemi versus (3), verum ægre *Passerem*; cum præsertim felicitatem scribendi, fluentem venam, quæ hujuscemodi opusculis desiderantur, cum Helvii cacozelia parum convenisse noveris.

2. *Ad seipsum*. — Epigrammatum fr. 1 quoddam ex iis soliloquiis referre videtur, quibus suam ipse sibi vitam scriptor enarrat, puris nubilisque intertextam diebus : « *At nunc me* (4)... » Nunc, id est tum... tum : nam isto vocabulo *nunc* reddendum arbitror, velut apud Flaccum : « Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis. » Nec enim facile pugillares concipias ad amicum in citato curru conscriptos ; quod e communi interpretatione intellegi deberet.

Quod fuerit Helvius provinciæ suæ fastos edoctus (perinde ac Catullus, Maro, Horatius), id adjectivo *Genumana* declaratur, cum jamdiu Cenomanorum non amplius civitas esset, eam dico quæ urbes Adduam inter et Athesim condiderat (5). Valerio licet conferas : « Salvete vosque, o Libuæ lacus undæ (6) ! » Attende quoque acutis poëtæ sensibus, atque iis quæ ab illo aggerentur minutis rebus : celticæ redæ, quod quatuor rotis vehiculum fuit (7), Transpadanis salictis (8), immo parvulis equis [*nani* = *musimones* Lucil. (9)]. Et est sermo demissus, sicut et in quibus versatur : versatur autem in notis ruribus, humiles

---

(1) Hor., *Sat.*, 1, 10, v. 19; Ov., *Trist.*, 3, 10, 53.

(2) Catullus, 32. Quod est de Cisalpinorum salibus, v. Cic., *Brut.*, 41.

(3) *Anthol. Palat.*, 5, 132.

(4) Cf. Plin. Jun., 9, 36 : « Nam, si diu tacui, vel ambulavi, post somnum demum lectionemque *non vehiculo*, sed, quod brevius quia velocius, equo gestor. »

(5) Strabo, 5, 1, 6.

(9) Catullus, 31, 13.

(7) Fabius, 1, 5; Isidor., 20, 12, 2. *Rhedam* veteri more conscripsi, I, § 1.

(8) Verg., *Ecl.*, 1, 54, *Georg.*, 2, 10-13.

(9) A. Gell., 19, 13; Non., 137.

Helvio currus regente. Titulum versiculis recte repares : *Veronensia Cinnæ otia ;* sententiam vero sic perrexisse credas :

At nunc me Genumana per salicta
Bigis reda rapit citata nanis,
Nunc.......................

Rarus alias *bigi* adjectivi usus hic reperitur, si A. Maio fidas. Manilio tantum conferendum video : « Quadrijugis nam Phœbus equis et Delia bigis (1)..» Aut, si totum locum velis, Catullo : « Non Rhesi nivea citaque biga (2). » Allitterationem in *reda rapit* equidem video.

3. Litterulæ. — Nunc vero ad amicos epistulas fr. duo nobis suggerunt : In *Dictynnam* Valerii Catonis, cujus versus unus superstes, ac *Phænomenon* libri Dedicatio. De altero pauca dicenda : sententia nimii fervoris ut sinceram credas (sicut quidem comparet, e circumstantibus drempta), sed quæ ad ipsius in *Zmyrnam* carminis versum mentem referat : « *Zmyrnam* cana diu sæcula pervoluent. »

Dictynnæ nomen, chartis omnibus scriptum, tenendum arbitror, quamquam haud contemnenda Burmannus contra disseruit (3). Ipsum erravisse Tranquillum in epyllii titulo credam : fuerat enim, ut videtur, historici ætate deperditum, cum nos ad ejus tantum apud Helvium mentionem remittat. Ergo Nostri *Dictynnam* per *Dianam* in prosa sua expresserit, quandoquidem ex usitatissimis Deæ nominibus *Dictynna* evaserat. Suspicionem firmat ipsius Dictynnæ fabulæ insertio in poëmate quod Catullianos aperte æmulatum est (4).

— Dedicationem *Phænomenon* magni facimus, pæne quanti fragmentum de Anathematis. Sic enim fortuna Cinnæ opera consumpsit, ut quatuor tractus versuum satis æstimari nequeat. Summa in Dedicatione versuum facilitas, summus lepor ; ubi quoque poëtæ ingenium mireris licet in prægrandi sententia projicienda, quæ neque ponderosa sit, et suopte impetu devolvatur solvaturque.

In primo versu VV. docti Callimachi imitationem jam notaverunt ; imitatus vero Cinna est epigramma de ipsis Arati *Phænomenis*, quæ tunc modo prodierant :

---

(1) *Astron.*, 5, 3. *Binis nanis* alibi legitur.

(2) *Carm.*, 55, 26.

(3) Weich., 3, 9.

(4) *Ciris*, v. 294-309. Latior epyllio titulus *Dianæ* fuisset. Cf. Nækium, p. 172.

..........................Χαίρετε, λεπταὶ
Ῥήσιες, Ἀρήτου σύγγονοι, ἀγρυπνίης !

Ex quo cernimus quam memoriter Alexandrinos Noster teneret, vel in litterula versibus conscripta. — Potuit quoque, fatemur, id Callimacheum in principio ipsius libelli exaratum fuisse, sicut Marsi epigramma de Tibullo in hujus Elegiaci exemplaribus.

Nec operis pretium est Burmannum sequi in demonstrando vere legendum esse v. 2 *novimus*, non *movimus*; necnon de græco *Phænomenon* exemplari agi, non jam de latina horum versione (2). Quod ex ipsa grammatica evidens fit, in litem non adducitur. Major de adjectivo *aërios* contentio, sed retinendum videtur (3). Neque enim solum ἀήρ pro æthere apud Callimachum usurpatur (Τειρεσιν ἡνίκα πλεῖστα κατ' ἠέρα βουκολέονται [4]), verum etiam *aërium* pro *ætherio* apud Catullum, Flaccum, Maronem reperias (5). Quodsi non proprium vocabulum esse dixeris, voluntarius est docti hominis error, qui sermoni est ornamento, velut *polus* pro *cælo*, *vada* pro *mari*.

Deminutivis ultima pollent, verum sententiæ aptis, siquidem de minutis agitur venustisque. *Aridulum* Catullus quoque præbeat (6), cum non alibi *libri* ut corticis deminutivum invenias. *Prusiacum* vero *Bithynici* sensu Silius quoque usurpat (7).

Versus euntes, dactylis crebri, e quibus minores choriambis terminantur, ut fere quarta pars e pentametris Catulli.

4. Iambi. — Iambicorum alterum silentio fere transmittam. Quod de rebus est, jam supra, I, § 5, tractavi. In vocabulis, Comicorum vox

---

(1) *Epigr.* 29. Imitationem primus Blomfield reperit.

(2) *Novimus* recte scripserat H. Stephanus. C. Barthius Pithœi *movimus* adprobat, intellegitque *vertimus*.

(3) Sic plerique codd. Weichertus *ætherios* mavolt, in eoque a Burmanno secedit. Müller *aërios*.

(4) *Hymn. ad Delum*, v. 176; cf. fr. a Catullo versum, 66, 7-10.

(5) Catullus, 66, 6; Hor., *Carm.*, 1, 28, v. 5; Verg., *Georg.*, 3, 474.

(6) 66, 316.

(7) *Bell. Punic.*, 13, 888.

galeare occurrit, cui Pacuvianum *clipeare* respondet (1); nec ipsam postea reperire est, nisi apud hunc nescioquem militem qui Bellum Africanum enarravit : « Milites in campo jubet galeari et ad pugnam parari (2). » Elegis constitisse carmen arbitror, sicut ipsum in *Dictynnam*.

— Cinnæ σκάζοντες seu hipponactei unicum sui reliquere exemplar : scilicet comparationem, ex qua amplissimus conjecturis campus pateat. Utrum de inviso æmulo agitur, an de irata puella, cui cum risu minetur Helvius? Est iambus, *in Cassium Severum* pessime dictus, quo sese Horatius cani Molosso confert, rapacem aliquem e suis persequenti (3). Hic ipse gloriari videtur Helvius : Psyllum (4) se profitetur, quem somniferæ morsus aspidis non offendant ; eam *tractat* (supple verbum) nec reformidat. — Quod schema crebrum fuisse apud antiquos, sicut et in Scripturis, non comperio. Id saltem Horatii laudari possit : « Ut tuto ab atris corpore viperis — Dormirem et ursis.... Non sine Dîs animosus infans (5). »

Activam significationem in *somniculoso, siticuloso, laborioso, oblivioso*, Laberii, Calvi, Horatii opera monstrant (6). Syllabam - ni - aut - ti - produci, Iambicorum licentia fuit [cf. *caniculam*, Hor.] (7). *Somnus* veterni sensu reperitur in Lucani *somnifero, somnifico* Plinii (8). — Restat ut in his lenti speciem vigoris notemus, qui facilem hominis gestum comitari videatur.

— Est versus (frag.6) quem Nonii chartæ Attæ comici seu Tibulli prædicent — adeo corrupti libri sunt, — sed rectius Cinnæ Quicheratius. Etenim, nec multo supra Helvius certissime laudatur, et Atta Tibullusve

---

(1) Nonius; item Varro, *de Ling. lat.*

(2) *De Bell. Afric.*, 22.

(3) *Epod.*, 6, v. 5 seqq.

(4) De quibus v. Nicandr., Ἑτεροιουμ., fr., Plin. Maj., 7, 2, Lucan., 9, 893-940. De aspidis morsibus, v. Plut., *Anton.*, 71. — Cinnæ versum cf. istis Catulli : « Contra nos tela ista tua evitamus amictu : At fixus nostris tu dabi, supplicium. » (116, in fin.)

(5) *Carm.*, 3, 4, v. 17 seqq.

(6) Laberius et Calvus ap. Nonium ; id. Calvus ap. Gellium, 9, 12 ; *Priapea*, 63, 3 ; Horat., *Carm.*, 2, 7, 21, *Epod.*, 3, 16.

(7) *Carm.*, 3, 13, v. 9, et Bibaculus ap. eumd., *Sat.*, 2, 5, 39.

(8) Luc., 9, 701, Plin., 24, 4, 17.

perperam videntur nominari (1). Immo, si ad grammaticales Nostri mores respicias, vix mireris *crinem* ab illo feminino usurpatum genere fuisse. Meretrici, ut verisimile est, alludit, cujus generis plurimæ in Urbe ex Etruria ; unde Tusci nomen vici, et apud Maccium : *ex Tusco modo* (2). Vide quoque Horatium : « Non te Penelopen difficilem procis — Tyrrhenus genuit parens (3). »

Crinem Helvio a capillis fuisse distinctum, latinum sane arguit poëtam. — Sed hæc non sine quodam dubio.

Epigrammatum fata. — Augusti æquales cinnanas ineptias voluptatis causa perinde atque invidiæ legere. Est enim quoddam in Dedicatione vocabulum a Cinna, ut arbitror, inventum *(vigilata)*, quod Ovidius, immo postea Statius rursum sibi vindicent (4) ; quin etiam totus versus Juvenali in memoria fuit (5). At Secundus Helvium jam non nominat in politicis viris qui operam versiculis navare suam non dedignati sint (6) : nec prætermissum equidem miror, reputans illum, contra quod Memmio evenerit, poëtam egisse inprimis. Frontonis vero familiari cuidam *nec ignobilis nec indoctus poëta* habetur; idem optimum ejus latinitatis testimonium tulit (7). Nec Tranquillo aut Gellio in mente non est. Sed a Nonio ex aliis auctoribus (ut est ejus grammatici mos) laudatur; quod idem de Isidoro probabilissimum est. Tertio J. C. sæculo non jam fuisse credam, in eroticis quidem opusculis. Delicatis vix placuisse auribus equidem supra memoravi ; nec est enim ejus maxima laus in nugis : verum, ex iis quæ superfuere, *Phœnomenon* Dedicatione inprimis, an nos adeo superciliosos esse deceat?

---

(1) Quamquam Atta in Satiris quoque laudatur (Isid., 6, 9, 2).

(2) *Cistell.*, 2, 3, 20.

(3) *Carm.*, 3, 10, v. 11-12,

(4) *Fast.*, 4, 109 ; *Silv.*, 4, 6, 25 ; *Theb.*, 12, 811.

(5) *Sat.*, 1, 51 ; 7, 27.

(6) *Epistul.*, 5, 3.

(7) Gell., 19, 13 : « Audeo tibi respondere hoc verbum *(nanus)* esse latinum, scriptumque inveniri in poëmatis Helvii Cinnæ, non ignobilis, etc. »

ARS METRICA

Etsi mediocris est Byzantini grammatici auctoritas (1), optimarum Rufini Antiocheni membranarum testimonio adducimur ut de arte sua scripsisse Nostrum, sicut Cæsio Basso evenerit, credamus. Quem jam invenias, de quo magis credibile sit? Desideranda maxime ea Catullianorum Ars, quæ tamen non tam Νεωτέρων fuisse videatur, quam cujusdam discipuli ejus Catonis, qui de veteribus libenter quoque scribebat. Sane minus in Cinna eorum fastidii fuit, quam in Horatio, eam denegante esse metricam, quam non intellegeret. — Jam vero de comicis Helvii vocabulis aliqua tetigimus (2).

---

(1) Vixisse videtur Rufinus in a. Chr. 450-500. Optimæ chartæ ejus *Parisina* sunt et *Reginensis*. Editio Veneta (a. 1470) sola Cinnam omisit. Aliæ *Cinna Sisenna* aut *Sisenna Cinna* proferunt. Rietschl Venetam sequitur.

(2) *Nannis, galeare, somniculosam*, etc.

PAUCA IN FINE

Talis hic fuit, Catulli fama hodie obrutus, Calvi instar aliorumque non paucorum ejusdem ævi. Etsi Alexandrinum epyllion ipse libello suo revera latinum fecit, — hujus generis imago *Thetide* eaque una (namque istum *Ciris* centonem omittam) nobis effingitur. *Zmyrna* vero, prout de ea judicare potes, maximi artificii simulacrum fuit, immo ornatu gravatum, neque ideo spiritu egens. Ceteros Helvii fetus certe urit fulgore suo, — *Propempticum* scilicet, splendidis contextum locis, sibimet vero ægre, ut arbitror, cohærens, — itemque versiculos, qui, si passim elegantiam præbuerint, Lesbiam tamen suam, ut jam diximus, requisierunt. Quodsi minorem, ac videtur, laudem *Zmyrna* forsan meruerit, venerabili tamen fuit exemplo, sicut una et altera apud Malherbium stropha, — propter patientiæ documentum ac studii (1).

---

(1) Nostræ ætatis judicia de Cinna inveneris ap. Bæhrium, 1, p. 437, Bernhardyum, p. 480 et n. 362, Teuffelium § 213,2 et 3, Müllerum in præf. Catulli, p. 76. Mommsenium 7, 309. Sane infesti omnes. Qui falsis de Cinnæ morte opinionibus contradixerit, neminem, ut jam dixi, video.

GABRIEL ANCEY

VIDI AC PERLEGI :

Aquis-Sextiis a. d. XIII Kal. Ian. ann. MDCCCCI.

Facultatis Litterarum in Universitate Aquensi-Massiliensi Decanus,

LOUIS DUCROS

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Aquensis Rector,

BELIN

TABULA